

9^a. 10^a

6. 15

8
11.

~~10~~


~~10-324~~

~~10~~

10-12

17359

23.409





INDIÆ ORIENTALIS

PARS X.

Qua continetur,

HISTORICA RELATIO SIVE
DESCRIPTIO NOVI AD AQUILO-
NEM TRANSITVS, SVpra TERRAS AMERICANAS
in Chinam atq; Iaponem ducturi, quemadmodum is
ab Henrico Hudsono Anglo nuper inuentus est, addita breui In-
sularum & locorum aliorum, in itinere isto occurrentium, ex
Iohannis-Hugonis Lintschottani itinerario desumpta
commemoratione.

Item

DISCVRSVS AD SERENISS. HISPANIÆ REGEM,
*super detecta nuper quinta orbis parte, Terra nempe Australi inco-
gnita, à Capiteo quodam Petro-Ferdinando
de Quir, &c. conscriptus.*

Addita

DESCRIPTIONE REGIONVM SIBERIÆ, SA-
moiedicæ atque Tingoeticæ, in Tartaria versus ortum freti Weigat-
sii sitarum, quæ nuper à Moscis detectæ &
occupatæ sunt.

Auctore

M. Gotardo Arthufio Dantiscano *Auctore de*


*Tabulas in æs artificiosè incisas miniat: sed opy
addente permutatæ &*

Iohanne-Theodoro de Bry.

FRANCOFVRTI,

Typis viduæ MATTHIÆ BECKERI.

M. DC. XIII.





LECTORI BENEVOLO S.



VE M A D M O D V M *lucris & utilitatis spes, lector optime, mentes hominum animosq; nunquam non excitavit ad peregrinas regiones nationesq; lustrandas: ita pretiosa illa, ad nos à Mercatoribus Russis allatae pelles, Mercatores nostrates inflammarunt, acri quadam cupidine incognitas nobis ipsorum terras, si fieri posset, peragrandi, profuit autem ipsis aliquo modo hac in parte iter quoddam à Russis conscriptum, Moscovia Colmogrouiam, atque inde Petzoram (vbi incolæ Anno Christi 1518. Christianam fidem amplexi sunt) hincq; porro ad fluuium Obi, pauloq; ulterius ducens, quod quidem plurima falsa veris admiscet, puta de Slatibaba anuilla (vt fertur) aurea eiusq; filiis, nec non monstrosis illis trans Obi fluuium hominibus.*

Pellium preciosarum cupiditas animos hominum ad terras Russicas lustrandas excitavit.

Transtulit vero descriptionem hanc Russicam in latinam linguam, eamq; libris suis de Moscovitarum regionibus scriptis inseruit Sigismundus ab Herberstein, Imperatoris Maximiliani Orator. Postea tabulam quandam Russiæ Antonius Viedus edidit, adiutus à Iohanne Latskio principe quondam Russo, & ob tumultus post obitum Magni Ducis Iohannis Basilij in Russiæ excitatos, in Poloniam profugo, quæ tabula cuiusdam I. Coperi senatori Dantisano dicata, Russicisq; & latinis descriptionibus aucta, in lucem prodit Viluæ Anno Christi supra millesimum quingentesimum quinquagesimo quinto. Aliam quoque Russiæ tabulam ediderunt postmodum Angli, qui in tractu isto negotiati fuerant.


Russicæ regiones à Sigismundo Herbersteinio, & aliis descriptæ.

Atque hæc quidem tabulæ & qualescunque descriptiones, quæque præterea de regionibus hisce comperta habentur, elicuerunt Oliuerium quendam Bunellum, domo Bruxella, vti conscenso nauigio Enchusano, animum induxerit eo sese conferre, qui aliquandiu ibi vagatus, cum pellium pretiosarum, vitri Ruthenici, crystallique montani, vt vocant, satis magnam copiam nactus esset, omnium opum suarum scaphæ commissarum in vndis fluuij Petzoræ triste naufragium fecit.

Oliuerius Bunellus ad regiones Ruthenicæ perlustrandas se accingit.

Postquam vero hæc tum Anglorum, tum huius Bunelli, qui & Costinsarcam Nouæ Zemlæ regionem lustrauerat, nauigationes, Batavis, oppum Chinensium & Cathaicarum odore allectis animum accendissent, nobiles & præpotentes vnitatarum prouinciarum Ordines duas naues, ductore Iohanne Hugone Lintschottano, versus fretum vulgo Weigatsium di-

Hollandi naues quasdam Vveigatsium & Nouam Zemlam versus emittunt.



Etum, totidemq; ductore Guilielmo Bernhardo, suafu & horratu Petri Pläcij, recto supra nouam Zemlam cursu septentrionem versus ituras, destinarunt. Et Guilhelmus quidem, cum peruenisset ad altitudinem graduum 77. & apud Insulas Orangeas, terram inter & glaciem obsessus esset, inde sese expediens, calendis Augusti domum reuersus est: Lintschottanus vero & fretum ipsum emensus, & ad quinquaginta miliaria ultra illud progressus est, tandem tamen flantibus perpetuis fere aquilonibus, temporisque oportunitate iam amissa, ad suos reuerti coactus est.

Hollandi trans-
itum aperire ali-
quosies frustra
tentant.

Anno proxime insecuto, qui fuit Christi 1595. iterum vterq; eo cursum instituit, animo signa sua vltius proferendi, atq; ita ceptam nauigationem hanc feliciter absoluendi. Sed enim frigoris vehementia & immensis glaciei montibus impediti spe sua ambo frustrati sunt, nam ne ipsum quidem fretum transmittere potuerunt, sed ad Insulam Ordinum cum venissent domuitionem parare coacti sunt, metuentes videlicet, ne totum fretum glacie tandem obstrueretur. Guilielmus sequenti Anno 1596. tertium repetito cursu, non multo, quam primo itinere longius progressus, nauim coagmentatis è glacie montibus superimpositam, eo quo peruenerat loco, in perpetuam extremam ad septentrionem nauigationis memoriam destituit, cuius viri prodigiosam historiam, dolendum interitum, turbaque nauticae miserandum in Hollandiam reditum, qui volet, ex publicis iuris factis historiis cognoscere poterit.

Argumentum
huius operis.

Nos vt qualemcumq; illam, quam Mercatores nostri ex itineribus iam dictis consecuti sunt regionum istarum cognitionem, quoad fieri potest, promoueamus, exhibemus hic narrationem quandam super nouo Ruthenorum in Tartariae partibus dominatu, quæ præter descriptionem Siberiæ, situm quoque exponit regionum longe trans Obi fluum, ad ortum vergentium.

Adiunximus huic Siberiæ septentrionaliorisque Tartariæ descriptioni tabulam quandam omnium illis adiacentium regionum ex idiomate Ruthenico versam, & multis in partibus cum accuratis Lintschottani locorum aliquot delineationibus concordantem, in qua Russi delinearunt nobis vniuersum illum freto Weigatsio ab ortu alluentem Oceanum, & simul viam inde meridionalem Cathaiam versus ducentem. Tametsi vero illa ipsa via videri alicui æquo septentrionalior possit, prout sane ex ipso tabulæ adspectu apparet, verisimile tamen est, vsque ad ipsum Obi, vel alium aliquem maiorem fluum maritime itinere perueniri posse, cum Russi oras istas nauigiis suis obnauigent, indeque vel scaphis, vel terrestri etiam itinere tendant in mediterranea, vbi nobilia multa detegi posse verisimilimum est.

Indagatio hæc

Quoniam vero fretum istud Weigatsium, per ipsam etiam anni æsta-

ni astatem, ad breue tantum tempus apertum est, vt ex Lintschottani & Guilielmi nauigationibus constat, difficilem profecto & operosam hanc indagacionem esse necesse est. Videtur enim natura cupiditatibus nostris cohercendis glaciem ibi & frigus ceu repagula quadam opposuisse.

Non obstantibus tamē hisce tot peritissimorum nauclerorum, Guilielmi Bernhardi, & Johannis Lintschottani exemplis, posthabitoq; parum prospero illo itineris à Kerchouio quodam, nomine Isaaci Lemerij, in eas oras facti euentu, ausi sunt imperiti quidam homines, apud Illustrissimos vnitatum Belgii prouinciarum Ordines, rerumque maritimarum curatores instare pro obtinendo itineris ad Aquilonem, supra nouam Zemlam, de integro repetendi commeatu atque diplomate, afferentes temere, remissius esse frigus ad 80. & 85. quam ad 72. altitudinis gradus, ac prope conuenientes cum Helisæo Ræslino, qui ad calcem libelli fœderatis Belgii Ordinibus inscripti, palam affirmat, aestiuo tempore quo propius polum accesseris, eo esse calidius, neque posse nauigiis vllum à frigore & glacie obstaculum afferri. Quin existimabant insuper aliqui, Solem in extremo septentrione salem potius generaturum esse, quam glaciem, non attendentes videlicet, Solem, qui inibi demum operationes suas efficacissime perficit, vbi radios suos ex alto directe in terram exerit, in aquilonaribus istis locis tota hyeme, ipsisque adeo viginti tribus hebdomadibus nunquam exoriri & splendere, quin & bonam astatis partem vsque adeo deprimi, vt non nisi obliquis radiis terram istam illustret, neque breui illo tempore, quo ad gradus 28. in ipso tantum meridie supra terræ crepidines eleuatur, fieri posse, vt ingentes istos à glacie coaceruatos montes dissoluat.

Hac tamen peruersa sua opinione imbuti Anno supra millesimum sexcentiesimum vndecimo anchoram illi soluerunt, idque initio statim veris, ne videlicet impedirentur à glacie per astatem soluenda magnorumq; fluminum ostiis euomenda, quæ nulla quidem ipsis occurrit, sed ipsum mare, in quo salem se inuenturos sperauerant, præter opinionem, sua ipsius glacie tam dense inuenerunt adstrictum, vt nihil plane memoria dignum efficere potuerint. Quare glacie præpediti, littora nouæ Zemle, vbi & Costinsarcam lustrarunt, legere, indeq; accepto non leui detrimento Childunam, Lappiæ Insulam, petere resarciendæ ruinæ causa coacti sunt, vnde rursus digressi, hybernatum profecti sunt ad littora nouæ Franciæ, quæ sub 44. graduum altitudine visuntur, vbi quidam eorum præfectus, alioqui fere in triclinio nautico delitescere solitus, cum descendisset in terram, barbarorum sagittis, vna cum aliis quinque confectus est, longe quidem extra opinionem suam, qua per extremum sese septentrionem longinquo supra nouam Zemlam cursu, ad pridem quæsitam Cathaiam

quam difficultis sit.

Ordines vnitatum Belgii prouinciarum ad repetendam septentrionalem nauigationem excitantur.

Helisæi, Ræslini de calore circa polum opinio.

Nauigationes septentrionem versus ab Hollandis instaurantur.

Chinamque leui negotio peruenturum, persuasus fuerat. Ex hoc autem comitatu altera nauium cum praefecto suo domum reuersa est, altera vero, Iohannes Cornelius cognomento Anthropophagus dictus, qui valde à peritiari nauticae commendatur, ad aquilonem iterum profectus est, qui breui tempore, plura quam haecenus nobis comperta sunt, detecturus speratur, quemadmodum etiam nauigationis eius euentum propediem tibi exposituros nos confidimus.

Hudsonus Anglus ad peruestigandum transitum ablegatur.

Quoniam vero etiam post nauigationes praedictas Guilielmi Bernardi, viam illam aquilonarem aliquoties Angli adhuc tentauerant, visum fuit caute triennium Indicae nauigationis praefectis & curatoribus, eomittere quendam M. Hudsonum Anglum, qui cum nullam ad ortum viam peruiam, sed pro ea Oceanum inuenisset glacie prorsus obstructum, ad occasum deflexit, indeque sine ullo profectu in Angliam reuersus est. Emissus autem denuo ab Anglis, cursu quidem longe prosperiore, sed deteriore tamen successu usus est. Cum enim post varios labores ultra terram de Bacalaos, trecenta circiter miliaria Occasum versus emensus esset, ibique ad altitudinem graduum 52. iam hibernasset, & ulterius tendere certus esset, ecce non tantum ipse, sed & omnis eius senatus nauticus scapha ab importunis nautis impositus & in undas demissus est, ipsi vero sine mora domum reuersi sunt.

Spes bona de nauibus nuper emissis.

Nos igitur notas eius ad calcem huius libelli adiunximus, certiora per naues eo iam missas, imo optatum de freto prorsus peruiio nuncium expectantes, quae naues hoc ipso aeternam sibi famam & gloriae parature sunt, cum tot potentes viri totque sagacissimi naucleri tot iam annos compendiosam ad Cathaiae, Chinae, Moluccarum Peruanorumque diuitias viam frustra adfectarint, inter quos praeter ceteros, qui in Aquilone & Oriente sua ediderunt specimina, fuerunt Martinus Forbisserus & Iohannes Dauisius, qui annis Christi 1585, 86. & 87. inter terram nouam & Groenlandiam, septentrionem versus currentes, ad gradus 72. peruenerunt, sed glacie praepediti, re plane infecta ad suos iterum reuersi sunt.

Spes de aperiendo transitu confirmatur.

Confirmatur haec nuper inuenti ab Hudsono supra nouam Zemlam, id est nouam terram transitus siue freti spes, Virginianorum, Floritanorumque concordibus testimoniis, diserte adfirmantium, terras suas ab occasu aestiuo allui vasto Oceano, in quo etiam naues Anglicanarum similes viderint. Legere quoque est apud Iosephum Acostam cap. 12. lib. 3. natural. Indiae Occident. Hispanos sibi habere persuasum Thomam Candium Anglum, certam habuisse freti istius notitiam. Et feruntur Hispani viam hanc sedulo occultare, qua eorum nonnulli post expugnatas à se Philippinas in Hispaniam sunt reuersi. Atque hinc adeo est, quod Philippus II. ut à fide dignis nobis relatum est, extruendam curauit validam illam arcem ad mare Vermeio vulgo dictum, supra Nouam Granatam, ut videlicet impedi-


impediret, ne aut nostrates aut alii sui hostes, opes illas immensas, quas ad mare del Zur pacificè possidet, per hanc viam aliquando venirent direptum.

Quod si ergo hæc via responderit suis principiis, compendium sanè hominibus nostris futura est, non ad Chinas tantum, Moluccas atque Peruviam, sed ad eas etiam gentes, quæ australem maris del Zur tractum incolunt, perlustrandas, explorandumq; quosnam inibi portus & merces inuenire sit. Neque defuturum est vsquam illis, qui ad iter hoc se accinxerint, vnde refocillentur, nauseamq; maritimam excutiant, siue ad insulas illas, quas lustravit Antistes Quitensis, (de quibus constat nobis ex relatione nautæ cuiusdam Bataui, Episcopi in itinere comitis, qui & Amplissimo Barneveldio reliquisq; Indicæ nauigationis præfectis multa huc pertinentia narravit) siue ad Continentem accedant. De quo quidem tractu exhibemus tibi discursum seu relationem Ducis cuiusdam Hispani, sperantes non futuram eam ingratam iis, qui ad commercia in vltimis illis mundi partibus exercenda adspirant, quiue tenentur globi terrestris & incolarum eius magis magisque cognoscendorum affectu. Cuius quidem cognitionis studium, vt in animo tuo accrescat, donec solidè perficiatur, vtque & opes tibi, & immortalem gloriam adferat, omnibus votis optamus.

Utilitas quæ-
ta ex aperto
hoc transitu
ad nos per-
uentura sit.

INDIÆ

INDIA



INDIÆ ORIENTALIS

PARS DECIMA.

HISTORICA RELATIO SIVE DESCRIPTIO NOVI AD AQVILONEM

TRANSITVS, SVpra TERRAS AMERICANAS, IN

Chinam atq; Iaponem ducturi, quemadmo-
dum is ab Henrico Hudsono Anglo
nuper inuentus est.



RELICISSIMÆ Anglicæ gentis expeditiones mari-
timæ, & prosperrimi quibus in iis vsi sunt successus,
eos ad rariore quoq; profectioes tentandas ma-
gis magisque extimularunt, nam præter crebra suo-
rum ad Ortum & Nouam Zemlam, siue nouam ter-
ram, Gronlandiamq; itinera, perpetuo fere labora-
runt in inuestigando ad Occidentem, Chinam atque
Iaponem versus, transitu siue freto, idque relicto ad sinistram septentrio-
nali Americæ littore, occupata iam illic & coloniis suis in seffa Virginia.

Viam vero quam eorum pleriq; in freto hoc indagando ingressi sunt,
secutus est Anno 1602. Præfectus quidã Georgius Winuodus, qui quin-
gentas fere leucas Anglicas in freto Davis sursum deorsum vagatus, &
præ glaci tandem retrogredi coactus, tentauit num per sinum illum, quẽ
Angli Lumles Iulet appellant, sub gradibus vno & sexaginta positum,
inuenire forte optatam viam posset, sed cum ad centum fere leucas in eo
progressus esset, pedem inde quoq; retulit, tum quod diuturna itineris
molestia nauticum vulgus attritum esset, tum quod statuisset lustrare et-
iam alios duos sinus inter Lumles Iulet & Baccalaos, vnde promanare
viderat ingentem fluuium, prout constat ex eius Ephemeridibus,
seu relationibus & itineris descriptionibus, quas M. Petrus
Plancius curiosissimus talium nouitatum inuestigator tradidit M.
Henrico Hudsono Anglo, Amsterodami per id tempus, Anno vi-
delicet 1609. agenti, & Indicæ nauigationis Præfectis in quærendo supra
Nouam Zemlam transitu, operam suam offerenti, qui & ipse, cum ad
Ortum nihil profecisset, ad occasum rectà deflexit, denuo tentaturus il-
lum à præfecto Winuodo quæsitum delineatumque meatum, post cen-
tum plus minus leucarum angustias in amplum tandem pelagus desinẽ-
tem, quod ipsum mare hic noster Hudsonus sperauerat fore peruium, li-
cet contrarium ei, ex relatione cuiusdam, qui occidentale maris ipsius
littus ad nauigauerat, idem Plancius ostendisset.

Angli circa trási-
tum septen-
trionem versus
aperiendum
diu multumq;
laborarunt.

Georgius Vinu-
odus trásitum
aperire cona-
tur.

Hudsonus trans-
itum aperire
frustra conatur.

B

Hudsonus
fretum superat.

Hudsonus domum reuersus, cum hoc itinere memoria dignum nihil gessisset, anno proximè insecuto 1610. à popularibus suis iterum emissus est & secutus illum in Lumles Iulet sibi à Georgio Winuodo ex parte calcatum tramitem, post multas tandem molestias, fretum hoc superauit, & ad gradus 50. & 51. progressus est, vbi etiam hybernauit. Atque hic demum, cum alioqui nullos toto itinere obuios vsquam habuisset homines, accessit ad eum vir quidam, bestiam quãdam & nescio quid præterea in commeatum ei afferens, Crissio Mexicano, seu Iaponensi (sic enim pugiones ipsi vocant) accinctus, vnde se non procul à terris Mexicanis abesse Hudsonus illico suspicatus est.

Hudsonus à
nautis in sca-
pham exposi-
tus deseritur.

Cæterum vir ille parum comiter tunc exceptus nunquam postea reuersus est, quare Angli, cum præter octimestrem illum, quem secum aduexerant commeatum, nihil aliunde nanciscerentur, è sinu, quem erant ingressi, occidentale legentes littus, septentrionem versus excurrerunt ad gradus 62. & 63. vbi & mare inuenerunt late diffusum, & grandiores à Cauro impulsos fluctus, quæ Hudsono quidem & Senatui nautico animus erat vltèrius indagandi, sed refragantes nauales focij, quod bimestri iam spacio, vltra, quam de annona prospectum esset, domo abfuissent, insurrexerunt tandem in suos Præfectos, & Hudsonum vna cum suis scapha in mare exposuerunt, ipsi vero qua venerant nauis, Anno 1611. Mense Septembri, domum reuersi sunt, vbi in carcerem hac de causa compacti, tantisper asseruantur, dum Præfectus ipsorum inueniatur, quem requirere iussæ sunt tres illæ naues, quas emisserunt sub veris sequentis Anni 1612. initium serenissimus Walliæ Princeps & Mercatores, transitum perlustratum & per nauigatum, quarum vni iniunctum, vr detecto ad plenum meatu, recurrat, nunciumq; illud tam diu desideratum feliciter afferat, quod in horas iam singulas expectatur.

Nauis tres
Hudsonum
quæsitum emittuntur.

COMPEN-

Hudsonus
fretum superat.



COMPENDIOSA ET SVCCINCTA INSVLARVM
 LOCORVMQVE ALIORVM, AB HOLLANDIS QVONDAM IN NAVI-
 gationibus istis septentrionalibus frequentatorum, ex Iohan-
 nis Hugonis Lintschottani nauigationibus de-
 sumpta commemoratio.



VANDOQV IDEM, Lector amice, in præmissa Anglica-
 ni itineris descriptione, nauigationum etiam ab Hol-
 landis ante hæc tempora ad ea ipsa loca, transitus ali-
 cuius in Chinam & Iaponem aperiendi causa susce-
 ptarum, mentio facta est, & vero tabule quædam Cho-
 rographica, situm omnem regionum & insularum ad
 Weigatsium & Nouam Zemlam occurrentium, ad
 viuum repræsentantes, ab ipsomet nauigationum Hollandicarum Mo-
 deratore Iohanne Hugone Lintschottano, nobis communicatæ fue-
 rint, operæ precium nos omnino facturos putauimus, si eas tractationi
 huic adiectas publici quoq; iuris faceremus.

Principio autem Hollandi postquam Texelia Hollandiæ solui-
 sent ad Childuynum Lappiæ insulam appulerunt, postea ad prolixum
 admodum promontorium, Laugeneram nomine, itemque ad promon-
 torium, cui Capobaxo nomen est, nec non ad sinum Lomsium peruene-
 rint. Progressi sunt inde ad Bernfurtum prope San-Guilhelmi insulam,
 Bernfurtoq; superato ad insulam crucis à Crucis effigie, quam semel at-
 que iterum ibi positam inuenerant, sic ipsis nominatam, appulerunt. Af-
 secuti autem porro glaciei angulum, ad Orangiam insulam processerunt,
 vbi Walruschas, quas vocant, ingenti copia depræhenderunt, sunt au-
 tem monstra marina, taurum magnitudine superantia, quæ cute & cri-
 nibus canes marinos, ore vero leones referunt, aures exiguas habent, &
 dentes duos ex ore cubitum longos prominentes ostentant, qui colore
 pulcherrimum ebur superant, ictum non admittunt, nec interfici faci-
 lè, nisi tempora ferias, possunt, foetus vno partu binos vel ternos edunt,
 cumque illis in glacie vt plurimum stabulantur, vbi vero parari sibi insi-
 dias vident, abiectis in mare catulis suis, ingenti in insidiatores suos im-
 petu, pro salute sua pugnatum feruntur.

Ab insula Orangia postmodum cursum suum Weigatsium versus
 direxerunt, pertingentes primo ad Angulum glaciei, postmodo ad pro-
 montorium de Trosta, itemque ad promontorium seu caput Nassouiæ,
 ad Angulum crucis, ad Angulum castrorum, ad sinum San-Laurentii,
 ad insulas duas San-Claræ, ad insulam Colgoiam, ad insulas Matfloam &
 Delgoiam, cumque iuxta fretum Weigatsium ipsis fretum Nassouiæ di-
 ctum simul omnes conuenissent, reditum in Hollandiam pararunt, diri-
 gentes cursum suum ad Warthusium insulam, vnde postmodum ad Te-
 xelianum Hollandiæ portum feliciter iterum appulerunt.

Postquam autem domum venissent, & confœderatis Belgicarum
 prouinciæ ordinibus spem bonam, de cœpto itinere per fretum

Weigatsium feliciter perficiendo & absoluendo fecissent, classem ipsi septem nauium Anno 1595. pararunt, adque iter illud absoluendum ablegarunt. Soluentes autem Texelia Tromsuntum Noruegiæ profecti sunt, indeque directo versus Aquilonare promontorium itinere, ad Angulum idolorum, ab idololatricis statuis, quæ nullo adhibito artificio ex lignis paratæ, ibiq; magna copia dispositæ cernebantur, ipsis sic dictum, peruenerunt. Non procul autem distat hic Angulus à Noua Zemla, quæ horrida admodum & inculta insula est, propter incredibilem niuis copiam, quæ in ipsa æstate etiam ibi habetur, solutæ autem niues eam adeo paludosam reddunt, ut ubi pedem figere possis, locum vix vllum reperias. Inhabitur à barbaris hominibus, qui nec legem nec religionem vllam nouerunt, sed Solem Lunamque & stellas venerantur, illisque sacrificia sua annua, Rupicapras nempe & res alias offerunt. Equidem Hollandi inita cum Samoiedis familiaritate, non semel tentarunt susceptum suum iter per mare Tartaricum perficere, sed multa glacie impediti, ex prædicto Weigatsij siue Nassouiæ freto, quod ingressi fuerant, in portum se recipere, & domum inde re infecta redire coacti sunt.

Postquam igitur classis illa septem nauium in Hollandiam iterum reuersa fuisset, ordinibusque totius suæ nauigationis cursum fideliter exposuissent, ipsi habita deliberatione, super sedendum in posterum labore isto, nec tentandum amplius iter istud decreuerunt, promittentes interim, si vel Respub. aliqua, vel priuati etiã Mercatores aliqui suis sumptibus, nauigationem hanc repetere fortunamque suam tentaturi essent, se dummodo transitum aliquem inueniant insigni eos pecuniæ summa remuneraturos, qua quidem promissione animata Amsterodamensis Respub. sequenti 1596. Anno duas naues suis sumptibus expedit, quæ glacie prorsus circumuallatæ & obrutæ, extricare sese inde non potuerunt, nautarum tamen & classiariorum aliqui exantlatis infinitis laboribus periculisque superatis quamplurimis mense Nouembri sequentis 1597. Anni in Hollandiam reuersi sunt. Quemadmodum

trium istarum nauigationum historiam ex præmissa tertia Indiæ Orientalis parte repetere lector poterit.

DISCVR-



DISCVRSVS

Sive

RELATIO MEMORABILIS

CVIVSDAM LIBELLI SVPLICIS, REGIÆ HISPAN. MAIESTATI, A PRÆFACTO QVODAM SIVE CAPITANEO Petro-Ferdinando de Quir, in causa detectionis quintæ Orbis terrarum partis, Terræ nempe Australis incognitæ, immensarumq; eius opum & fertilitatis optatissimæ, &c. oblatis.



ERENISSIME potentissimeq; Rex, Domine clementissime, Ego Capitaneus Petrus-Ferdinãdus de Quir, dico hunc esse octauum libellum supplicem, quem Maiestati tuæ offero super deductione coloniarum faciendâ in terras, quas Maiestas tua detegi iussit, in tractu Australiæ incognitæ, cum interea nihil hucusque in negotio meo statutum, nec vllum mihi responsum aut spes data sit, qua certior fiam, nec tandem aliquando hinc expediendum, qui tamen menses quatuordecim in hac aula versatus sum, ipsosque adeo quatuordecim annos negotium hoc tractavi, idque sine vlla mercede & sola causæ bonitate inductus, qua fretus contradictiones omnes contempsi, & vices mille milliaria tam maritimo quam terrestri itinere confeci, omnia mea bona consumpsi, & personæ meæ plurimum incommodavi, tanta tamque horrenda passus, vt mihi ipsi pene videantur incredibilia, ne videlicet tam pium inceptum desererem. Itaque per viscera charitatis diuinæ Maiestatem tuam supplex oro, ne ipsi placeat tolerare, vt defrauder tam desideratis, mihi que tam iuste debitis, tot & tam continuorum laborum atque molestiarum, tamque notabilis & bene fundatæ petitionis fructibus, præsertim cum gloriæ Dei Tuæque Maiestatis tanti intersit, infinitaq; hinc exoritura sint bona, duratura quamdiu stabit hic mundus & post eum in secula.

Quid Ferdinãdum commouerit ad terras hæc incognitas perlustrandû.

Quod ad regionum istarum nouiter detectarum amplitudinem attinget, iudicando ex iis quæ ipsemet vidi, quæque Capitaneus Ludouicus Paez de Torres, obediētia meæ Archithalassus Maiestati Tuæ exposuit, longitudo earum tanta est, quanta totius Europæ, minoris vsque ad Mare Caspium Asiæ, Persiæ omniumque tum oceani, tum mediterranei maris hisce regionibus adiacentium insularum, Angliæ & Hiberniæ comprehensibilis. Est videlicet occultus hic tractus quinta globi terrestris pars, ac tam late patet, vt in eo verisimiliter possint esse duplo plura regna atque dominia, quam sunt ea, quorum Maiestas Tua hodie Dominus est. Nec habent hæc terræ vicinos Turcas, Mauros, aliasque nationes vicinis suis infestas, Regiones nobis visæ omnes intra Zonam torridam sitæ sunt, & pertingit earum pars vsq; ad circulum æquinoctialem, latitudinis graduum 90. vel alicubi pauciorum.

Amplitudo Australis huius regionis.

Quod si respondebunt promissis, inuenientur profecto terræ, quæ optimis Africæ partibus, toti Europæ, & meliori Asiæ maioris parti sint antipodes, moneo vero, cum regiones nobis lustratæ ad 15. gradus, sint

Præstatiâ harum regionû.

Hispania meliores, alias altitudini ipsarum oppositas, analogice esse debere paradisum quendam terrestrem.

Incolę harum
regionum.

Refertus est totus hic tractus innumerabili incolarum multitudine, quorum alii candido, alii fusco, & eorum, quos Hispani Mulatos appellant, per similes, alii denique mixto quodam colore sunt. Capilli nonnulli nigri, longi, soluti, aliis crispi, villosi, aliis denique flauis & admodum rari. Quę sane diuersitas magni cuiusdam inter eos commercii, crebrique conuentus signum est. Quo equidem argumento, actum ex soli ipsius præstantia, tum ex eo quoque, quod nullis vtantur tormentis bellicis aliisve in mutuas hominum cædes paratis machinis, quodque non operentur in argentifodinis, aliisque id genus circumstantiis, facile colligitur, hęc populum esse longe numerosissimum. Nec videntur vlla prorsus arte imbuti, ac nec artes habent, nec muros, nec Regem, nec legem. Simples tantum gentilesque sunt, in factiones diuisi, nec vnquam satis concordēs.

Arma Australium horum
hominum.

Arma quibus vtuntur, sunt arcus, sagittę nullo veneno imbutę, fustes, hastę ac tela missilia, omnia tantum ex ligno. Velant pudenda. Sunt mūditię studiosi, tractabiles, alacres, summaque in benefactores gratitudine, quā ipsemet non semel expertus sum. Vnde spes est Deo bene iuuante, eos, si placidē atque amice tractentur, dociles atque placabiles fore, quibus facile satisfieri possit. Quę tria initio valde necessaria sunt, quo videlicet hi homines perducantur ad illos tam sanctos tamque salutiferos fines, qui optimo sane zelo studioque tam in minimis quam in maximis ante oculos nobis habēdi & vsurpandi sunt. Domus ipsis ē ligno sunt, palmarū frondibus tectę. Ollis vtuntur fictilibus. Machinas quoque textorias norunt aliasque eiuscemodi elegācias. Marmorarii sūt, tibias, tympana, cochlearia fabricantur ē ligno. Oratoria etiam ipsis sunt & sepulchreta. Horti in arceolas pulchre digesti, septi & limitibus suis distincti. Magnum ipsis vsum præbēt cochleę margaritifera, ē quibus cuneos, scalpra, ferras, ligones aliaque id genus instrumēta, tū & globulos collo appendendos conficiūt. Insulani nauiculas habent affabre elaboratas & ad traiciendū percōmodas, quod argumentū est minime fallax, eos vicinos esse nationibus magis excultis, cuius rei & illud non vanum indicium est, quod & verres & gallos gallinaceos castrent.

Panes & fructus varii quibus
Australis homines vtuntur.

Panē habent ē triplici fere radicū genere, quarū ingens passim prouenit copia, atque huic cōficiēdo minimū sane laboris impendunt, nihil. n. faciūt præterquā quod torreāt radices vsque dū sint percoctę, sunt autē gustui valde gratę, salubres & nutritię, diurnę præterea, & inueniūtur quę vlnā longę sunt & semiulnā crassę. Fructus in hoc tractu quā plurimi sunt & eximie boni. Platani senū generū, Amygdala quadruplicia, prægrandes olei, quod genus cotoneis nostris & magnitudine & gustu pene ad simile est. Nuces innumerę, mala medica & citrea, quibus tamen barbari non vescuntur, alii denique non minus suaues quā prægrādes fructus, quos & vidimus & gustauimus. Multę insuper & quidē insigniter crassę arundines sacchari. Est & pomorū nostrorum vulgariū apud eos notitia.

Utilitas palmarū Cocos
ferentium.

Innumerabilis fere palmarū numerus, a quibus illico possit depromi Tuba, & hinc confici vinum solet, itemque serū, acetum & mel. Ipsi nuclei admodū suaues, Fructus indi appellant cocos, qui dū virent, possunt esse pro carduis, medulla cremorem lactis propemodū refert, maturi, terra marique pro cibo simul & potu sunt, vieti iā & caduci oleo stillant, quod & tenebris discutiendis aptū est, & vulneribus balsami instar medetur, nec minus esui vtile. E corticibus fructuū tenerorum, lagenulę fiunt aliaque id
genus

genus vascula, interior vero cortex pro stuppa seu musco est, nauium commissuris ferruminandis vtile. Fiunt ex eo & rudentes alique tum bombardici, tum & domesticis vsibus proprii funes. Sed quod caput est, è frondibus contexuntur minorum nauigiorum vela, tenuissima storeæ, regulæ deniq; quibus intus forisq; muniuntur ipsorum domus, præ longis rectisq; arborum stipitibus contignatæ, ex quibus tabulæ quoq; fiunt, hastæ aliaq; telorum genera, remi ac domestica vtenilia. Est autem notatu dignum, hæc palmeta velut vineas esse, ex quibus toto anno vina leguntur, nullo plane labore, nec vlllo sumptuum temporisve dispendio.

Inter alias olerum species visæ nobis cucurbitæ sunt & alia id genus hortensia. Habent & fabæ notitiam. Quod vero ad carnes attinet, magna est ibi potcorum copia, nostratibus ad similia, multæ habentur gallinæ, capi, perdices, anates, turtures, columbæ, palumbes, & capræ alteri Capitano visæ. Significarunt autem nobis Indi & de vaccis & bubalis. Piscium genus ibi multiplex est, Harghi, Pascereies, Lizæ, Lingulæ, Salmunculi, Meri, alofæ, Macabises, Casanes, Pampani, sardæ, raia, Cuculi, Chiteuicia, anguillæ, porci marini, Chapini, rubiæ, almexæ, Gammari, aliiq; complures, quorum nomina mihi nunc non succurrunt. Quin & longe plura piscium illic oportet sint genera, cum ea quæ dixi iunctim à nobis capta sint iuxta naues. Quæ omnia si quis attente consideret, comperiet ex tam multiplici tamq; præstanti annona illico percipi posse raras variasq; delicias, vsq; ad Martios panes quos vocant, & omnis generis conditanea idq; sine vllis aliunde petendis additamentis. Quod vero ad nauticam ipsam turbam attinet, non deerunt ipsis præter iam commemorata, petasones, butyrum, & alia quæ porci suppeditant, vt nec acetum, nec aromata, nec conditamenta alia. Notandum præterea, multa istorum nostratibus esse similia, & fortassis multo hic abundantius inueniri, cum præsertim tellus, omnibus quæ Europa producit, gignendis apta sit.

Opes mihi conspectæ, argentum & vniones sunt. Alter vero Capitaneus in relatione sua & aurum se vidisse commemorat. Tres nimirum pretiosissimæ rerum, quas natura creauit, species. Multa insuper ibi nux myristica, mastiche, zingiber, piper, vtriq; nostrum visum. Est & cinnamomi notitia, fieriq; potest, vt nascantur & caryophylla, cum tot alia inueniantur aromata, idq; eo magis quod hæc terræ, parum abest, quin parallelæ sint regionibus Terrenatæ atq; Bachan. Est præterea & serici sacchariq; conficiendi materies. Ebenum habent valde eximium aliaq; lignorum genera, nauibus quotquot desideres construendis idonea, vna cum suis velis, ac triplici ad rudentes materie, quarum vna canabi nostræ similis est. Fit deinde ex oleo illo Cocorum, de quo supra dixi, Galagala, vicem liquidæ picis præstans. Est & resinæ quoddam genus, qua Indi piraguas suas oppicant. Cumq; & capræ ibi visæ sint & vaccarum habeatur notitia, magna proculdubio marroquini, corii, sebi, & carniū erit copia. Apes visæ, mellis & ceræ argumentum sunt, multa que insuper nobis adhuc incognita regiones istæ pollicentur, vt ne quid dicam de situ earum atque forma. Quibus omnibus si accedant ea, quæ dabit industria, cum & tanta sit rerum ex ipsa terra nascentium copia, & tam magna nostrarum (quarum, sicut & optimarū nonnullas & vtilissimarum ex Peruuia & noua Hispania eò traducere decreui) gignendarum spes, videntur hæc sane coniunctim terram hanc adeo ditatura, vt & suis ipsius & Americæ quoque populis sustentandis, Hispaniæ vero & magnitudine simul & opibus locupletandæ vna largiter suffectura sit,

modo

Carnes & pisces in locis istis aquilonaribus.

Opes & diuitiæ harum australium regionum.

modo fuerint, qui ad exequendum hoc opus manus auxiliatrices porrigant.

Incolæ harum regionum nobiscum non sunt comparandi.

Littoralium certe nobis lustratarum terrarum indicio, dico, ex ipso earum meditullio tantas sperandas esse diuitias, tanta commoda, tantam magnitudinem, quanta iam incipit esse nostra. Notandum quoque præcipuum mihi fuisse scopum, regiones tam amplas, quas iam deteximus, tantummodo indagare, neque potuisse me, propter varios meos morbos, atque alias, quas taceo, causas, omnia quæ libuisset, spectare, nec vero etiam poterant, quæcunq; voluissemus, spectari vnico mense, quorum annus includit duodecim, omnes demum omnium regionum istarum fructus & qualitates indicantes. Neque debent Indi regionum istarum indigenæ, æstimari ex nostrorum hominum cupiditatibus, gestibus, necessitatibus & rerum æstimationibus, sed habendi sunt pro hominibus, qui vitam hanc suauiter, ac quam minimo fieri potest, labore traducere studeant. Quod & faciunt sane, nihil vltra curantes eorum, ob quæ ipsi tantopere eos torquemus atq; defatigamus.

Solū pingue & aquæ salubres in hisce regionibus.

Tantas inibi statim habitura est vita humana commoditates tantasq; delicias, quantæ ex tam culto, tam amæno, tamque temperato solo sperandæ sunt, quod & furuum & pingue admodum & fœcundum est, argilla passim abundans, ad extruenda illico ædificia, lateresq; & quicquid præterea ex argilla conficitur, formandum. Sed nec marmora aliaq; viui lapidis genera deerunt, si cui splendide ædificare libido sit. Lignis ad quæuis opera necessariis terra scatet, pulchræ in ea planicies, campique vt plurimum riuis, fossis, amnibus interstincti, præaltæ & quidem duplices rupes, multi passim torrentes, amnes, fluuii, in quibus commode extruantur hydromylæ, aliæque aquariæ moles. Occurrunt hic illic salinæ, & quæ fœcunditatis ipsius soli testes sunt, crebra canneta, in quibus canna quinque & amplius palmos crassæ crescunt, fructu analogice respondente. Summitas ipsa fructuum tenuis ac prædura, cortex leuis, filices deniq; inueniuntur igniarii, bonitate Madritensibus pares.

Sinus Apostolorum Philippi & Iacobi.

Sinus sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, stationem habet, viginti leucas patentem, illimis totus, ac tam de die quam noctu intrantibus tutus, habitationibusq; frequens, quarum, & quidem eminus, luce fumus, tenebris ignis & lumen sæpe conspectum est.

Portus veræ crucis.

Portus, cui nomen est veræ cruci, tam late patet, vt vel mille nauium capax sit. Fundus vt dixi illimis & nigricanti arena constans. Nullæ vquam in eo inuentæ syrtes, & tuto figitur anchora ad quocunq; libitū, à 40. videlicet vsque ad dimidiam, idque inter duorum fluminum ostia, quorum alter Bætium magnitudine fere superat, aquam habens duas amplius vlnas profundam, quæ Catafopia & Patassas transmittit: alterum flumen scaphæ nostræ aequatum pergentes, tuto ingrediebantur. Est vero ad eius ripam passim inuenire aquarum sane limpidissimarum copiã, locus in quo exonerantur naues ad tres plus minus leucas patet, nigricantibus, minutis ac ponderosis filicibus, nauibus saburrandis longe aptissimis refertus. Littus, quod nullas haberet voragines siue fissuras, quodq; herbæ in eo nascentes virerent, credebatur oceano non pulsari, cumque arbores omnes starent erectæ, nec villo affectu essent in commodo, iudicatum fuit, non sæuire ibi admodum tempestates.

Amœnitas portus veræ crucis.

Portus ipse præter quas dixi, est & alia quadam delectabili sane commoditate, seu amœnitate potius insignis. Ipso enim statim diei diluculo exaudiebatur è propinqua sylua dulcissimus quidam concentus Chilia-

dum

dum aliquot omnis generis auium, inter quas (vt videbatur) luscinia, merula, coturnices, acanthides, hirundines ferè innumeræ, perequiti, & vnus (vt obseruatum est) psittacus, aliæq; complures auium species, etiam ad locustarum vsq; & cicadarum garritus. Manè simul & vesperinares afflabant suauissimi quidam odores, prodeuntes è tam vario florum genere. Et ex his aliisq; conclusum est, aerem regionis perquam benignum esse, ipsamq; adeo matrem naturam, optimam ibi seruare temperiem. Redduntur vero etiam hic portus & eius sinus eo ipso quoq; magis laudabiles, quod vicini sint tot pulcherrimis insulis, præcipue illis septem, quas fama est ad ducentas fere leucas extendi, & sane earum vna quinquaginta leucas habet in ambitu, duodecim ferè leucis ab ipso portu discreta.

Ad hunc igitur sinum & eius portum, sub 15. $\frac{2}{3}$ graduum poli arctici altitudine positos extrui illico posse dico amplam quandam & populosissimam urbem, hominesq; qui eandem inhabitaturi sint, omnibus, quotquot desiderare valeant, opibus atq; commoditatibus fruituros, quas quidem commoditates tempus docebit, quasq; largiter impertiri poterunt terris Chili, Peru, Panamæ, Nicaraguæ, Gattimalæ, Nouæ Hispaniæ, Terrenatæ & Philippinis, quarum omnium Tua Maiestas Dominus est, quæ si & harum quas nunc offero dominium sibi acquisierit, tum vero ego eas tam magnifacio, vt (præterquam quod veluti claues sint omnium prædictarum) futuræ sint meo quidem iudicio, quod ad curiosarum pretiosarumq; mercium negotiationem attinet, (ditionem nunc mitto) altera quædam China, Iaponia, & si quas præterea diuites terras insulasq; Asiæ illa littora continent. Breuis sum pro eo quod de terris his mecum sentio, quodq; in Mathematicorum conuentu demonstrare paratus sum. Nec me diffundo, vt ostendam, hac terras primo statim ingressu sustentare posse viginti hominum Hispanorum Myriadas. Hic est ille mundus, cuius Hispania iam fit centrum; Hic respectu corporis, vnguis est, quod verbum notatu dignissimum est.

Commoditates harum regionum in ipso statim ingressu.

Bonitas temperiesq; aeris tanta est, quanta ex iis quæ iam dicta sunt potest colligi. Cuius quidem rei & hoc clarissimum est indicium, quod cum nostri homines inibi essent exteri, nemo tamen eorum vlllo morbo correptus sit, quanquam & operarentur assidue, & sudore diffluerent, quin & aliunde madescerent, nec vel ieiuni aquarum potu, eorumque quæ tellus producit esu sese abstinerent, sed nec ab aere vespertino lunaue sibi cauerent, nec à sole, qui de die non nimium vehemens est. A media nocte poscebatur & facilimè ferebatur lanea stragula. Cum vero indigenæ habitatores ferè sint, & quidam valde grandæui, licet humi vt plurimum habitent, (quod eximium sanè salubritatis signum est, cum si quod solo inesset vitium, ædificia ipsi sua haud dubie eleuata à terra habituri essent, vt in insulis Philippinis, aliisq; vicinis tractibus factum constat,) cumq; & carnes & pisces nullo etiam sale adpersi ultra biduum persistant incorrupti: Cum isthinc allati fructus, (vt è duobus, quos mecum habeo, licet intempestiue decerptis, apparet) admodum sint salubres: Cum deniq; nulla nobis conspecta sint sabuleta, nulli cardui, spinosæue aut radicibus supra solum porrectis arbores, nullæ prorsus lacunæ, nullæ paludes, nullæ in montibus niues aut noxii vermes, nulli in fluuiis crocodili, nullæ domibus pariter frugibusq; detrimentosæ formicæ, erucæ, culices, &c. dico hanc esse prærogatiuam super omnes dignitates, dignam quæ conferatur, imò quæ præferatur multis Indiæ re-

Actis in his regionibus bonitas.

gionibus, ob sola isthæc incommoda prorsus desertis, aliisque nonnullis, quarum incolis ea tam sunt molesta, quam quæ molestissima.

Quomodo
terra hæc au-
stralis nomi-
ne Regiæ
Hisp. Maiest.
occupata sit.

Hæ sunt igitur clemētissime Domine virtutes & excellentiæ terrarū à me detectarum, quarum possessionem nomine Maiestatis tuæ, & sub regio tuo vexillo iam cepi, vt acta penes me adseruata testantur. Principio enim erigebatur crux, & extruebatur ædes sacra honori diuæ virginis Lauretanæ dicata, celebrabatur viginti Missæ, cōcurrebatur ad obtinendas indulgentias in festo sacramenti, ipsumq; sanctissimū sacramentū præuio Maiestatis tuæ vexillo perambulabat honorabatq; occultas illas terras, in quib. tua erexi vexilla, quæ singula geminas ostētabat columnas insigniis Maiestatis tuæ appolitas, vnde merito possum dicere, in quantū hæc orbis pars est, impletū hic esse verbum illud: Plus ultra: in quantū vero est cōtinens, longe tam ante quā pone esse peruentum.

Capitaneus
hic cur in de-
regendis
hisce terris
tam diligens
fuerit.

Hæc autem & quæcunq; præterea gesta sunt, feci tanquam Maiestatis tuæ fidelissimus cliens, quo videlicet Maiestas tua hunc titulum possit reliquis suis titulis adiungere, vtq; personet vbiq; terrarum Australiæ incognitæ nomen, in maiorem eiusdem Domini gloriam, qui terram hanc reuelauit, meq; ad eam perduxit, & coram Maiestate tua præsentem statuit, in cuius cōspectu etiam nunc adsto eodem quo antehac animo erga hanc causam affectus, quā velut eduxi à paruula, & propter dignitatem suam atq; merita supra modum deamo atq; depereo.

Rex Hisp. cur
occupatio-
nem harum
regionum pio
mouere mo-
dis omnibus
debeat.

Credo equidem quæ est Maiestatis tuæ in consiliis capiendis prudentia, magnanimitas, Christianaq; pietas, eam summo studio procuraturam, vt de futura terrarum istarum iam detectarum in habitatione tam reddatur secura, quam par est, cum præcipua, quæ nos obligare debeat, ne patiamur eas desertas, causa sit, quod hoc vnicum sit remedium, eò spectans, vt Dominus Deus noster iis in locis agnoscat & credatur, adoretur atque colatur, vbi tantopere colitur nunc Diabolus. Eo magis quod hoc futurum sit velut ostium, quo tot Maiestati tuæ subiectis populis obuenturæ sunt commoditates & emolumenta plurima. Quodque grauiores lōge exorituræ sint curæ, si contingat ad illas tendere Romanæ Ecclesiæ perduelles, ad falsa sua dogmata propaganda & quæ hætenus à me recitata sunt bona, in grauiora mala vertenda, vsurpandumque sibi Indiæ Dominorum vocabulum, ipsam vero funditus euertendā.

Ferdinandus
operam suam
regi in occu-
pandis hisce
terris prom-
ptam offert.

Neq; dubito quin Maiestati tuæ iam constet grauissimū illud, de quo nunc agimus damnum, vel & aliud quoduis iam instans, aut in posterum oboriturum incommodum, innumeris auri simul & hominum millionibus constiturum, priusquam ad certum aliquod deueniri possit remedium. Acquirat igitur dum licet tua Maiestas, (vt aliquando acquirat & cælum) acquirat inquam paucis in Peruvia exponendo argento, & perpetuum sibi nomen, & simul nouum hunc orbem cum omnibus iis quæ pollicetur. Cumq; nemo nunc sit, qui Maiestatē tuā pro hoc tanto tāq; insigni Dei beneficio felicissimis tuis tēporib. reseruato petat Euāgeliū. Ego Domine id mihi reposco, & eius vice, expeditionē meā atque respōsum, parati namq; sunt galeones & mihi multū obeundū est viæ, plurimaq; restant apparanda atq; disponenda, quin & spiritali simul & temporalis bono multum in horas deedit, damno prorsus irreparabili. Si Christophorum Columbum superiorib. temporib. suspiciones suæ reddiderunt præfractū, me ea quæ his oculis vidi, quæq; his manib. cōtrectaui, & quæ nunc offero, cogūt esse tā importunū. Quare obsecro placeat

PARS DECIMA.

placeat Maieftati Tuz, vt ex tot quæ adfunt remedijs vnũ aliquod decernatur, quo tandem efficiat voti compos, voueo enim & polliceor me ad omnia paratum futurum, & omnibus fatisfactionem daturum.

Ad extremum, magnum hoc opus eft, Rex clementiffime, cum tam acriter id oppugnet Diabolus, nec æquum eft, vt tam multum is poffit, cum Maieftas tua fit terrarum illarum Patronus atq; defenfor.

HISTORICA

C 2

HISTORICA DESCRIPTIO REGIONVM
SIBERIÆ, SAMOIEDIÆ ATQVE TINGOESIÆ,
vna cum itineribus è Moscouia, ortum & Aquilonem versus
eò ducentibus, prout à Moscis quotidie
frequentantur.

Anica diues
rusticus tene-
tur desiderio
aliarum nati-
onum amici-
tiam sibi com-
parandi.



Ens est in Moscouia, Aniconia nomine, progenie rusticana, & ab Anica quodam agricola primum exorta. Hic agris admodum diues, habitabat ad flumen quoddam, cui nomen Witsfogda, influens in fluuium Dunam, qui centesimo inde miliari, prope fanum Michaelis Archangeli, arcem sic appellatam, exoneratur in mare album. Hic igitur Anica, diues (vti iam dictum est) numerosam quoque habebat prolem, benedixeratq; ei largiter Deus, ac de omnibus rebus abunde prospexerat. Stimulabatur autem acri quadam cupidine, studebatq; omnino cognoscere ecquas populi illi possiderent atq; incolerent terras, qui negotiatum quotannis venirent ire Moscouiam, pretiosas animalium pelles aliasq; nonnullas merces secum adferentes, & lingua, veste, religione, ac moribus multum diuersi, nominantes se Samoiedas, & alia nonnulla sibi imponentes nomina.

Anica famili-
aritatem cum
Samoiedis
contrahit.

Deferebantur quotannis hæ gentes secūdo flumine Witsfogda, mercesq; suas cum Russis & Moscis permutabant, in oppidis Osoyla & Vstinga, ad Dunam fluuium, mercium omnis generis, nominatum vero pellium preciosarum per id tempus receptaculis & emporiis. Anica igitur (vti iam dictum est) cupidissimus erat sciendi, vnde nam homines isti venirent, quasue terras incolerent, facile coniciens magnas inde opes posse acquiri, pellibus annuatim per eos aduectis, ad ingentem pecuniæ summam adscendentibus, quare contraxit clanculum cum eorum nonnullis amicitiam & fœdus, atq; ad decem vel duodecim suos homines in eorum comitatu ad terras illas ablegauit, iniungens eis, vt quascunque regiones perambulant, in iis singula quæque diligenter explorarent, gentiumque ipsarum mores, ritus, mansiones ac totam adeo viuendi rationem sedulo annotarent, quo videlicet exactam inde notitiam domum redeuntes referre possent.

Anica suos in
terram Samo-
iedarum om-
nia explora-
tum ablegat.

Hoc cum aliquando fecissent, ipse reuersos prolixè accepit, omniq; studio profecutus est, imposito tamen iis fido silentio. Continuit autem & ipse hæc omnia apud se, neque cuiquam aperuit, & anno inde secundo maiorem eo suorum numerum ablegauit, cognatis aliquot & propinquis adiunctis. Hi secum abstulerunt viliores quasdam merces, tintinnabula nempe, aliaque id generis ab Germania scruta, atq; regionum earum singula quæq; diligenter perscrutati sunt, peruenientes post complura deserta & magnos aliquot fluuios superatos, vsque ad fluuium Obi, vbi contracta cum Samoiedis amicitia fœderèq; obseruauerunt pelles illic haberi in paruo pretio, & facillime inde diuitias opesque colligi posse, præterea non habere hunc populum vllas vrbes, sed gregatim inter se & pacifice viuere, & à senioribus aliquot regi.

Mores Samo-
iedarum agre-
stes.

In victu erant immundi & ferarum, quas capiebant, carnibus victitabant, frugum panisque nullam habebant notitiam, alioqui solertes erant
arque

atq; industrii sagittarii, arcus è lento quodam & flexibili ligni genere conficiebant, acutis lapidibus vel etiam piscium spinis præmunitos, hiscè feras traiciebant, quarum maximus ibi erat numerus. Suebant quoque piscium spinis, quæ pro acubus ipsis erant, sicut animaculorum quorundam nerui pro filo, atque ita conserebant, quibus induerent sese pelles, quarum pilos æstate quidem extrorsum, hyeme vero introrsum verteabant, domos suas tegebant alcium aut similium animalium pellibus, quas nullo plane habebant loco. Sic igitur hi Anicæ emissarii curiosè omnia & singula quæque perlustrarunt, onustiq; diuitiis pellium, domum reuersi sunt.

Anica igitur cum ex eorum relatione intellexisset, quæ tantopere scire expetebat omnia, negotiatus est postmodum vna cum quibusdam suis amicis in terris istis per continuos aliquot annos, vnde factum vt Aniconii præpotentes euaserint, multosque vndique agros cœmerint. Vicini igitur, vndenam opes istæ exorirentur ignari, magna tenebantur admiratione. Condebant namque Aniconii etiam ædes sacras in aliquot suis pagis, quin & pulcherrimum postea templum extruebant in vrbe Osoyla ad Witsfogdam, vbi tum temporis habitabant, quod ab ipsis vsq; fundamentis è viuo lapide constabat, nec enim opum suarum modum ipsi sciebant.

Interim vero cogitabant sæpè numero, fieri facile posse, vt fortuna ipsis tergum obuerneret, cum præsertim graui apud plerosque, propter opes suas, laborarent inuidia, licet ipsi neminem vlla vnquam iniuria affecissent. Itaque sapienter admodum considerabant, quomodo hoc ipsum præuenirent, efficerentque vt in eo ad quem iam ascenderant, honoris gradu permanerent. Iactatur autem vulgo apud Moscos tanquam prouerbum, Eum cui in aula amici nulli sunt, vix in hominum numero esse habendum. Fit enim plerunq; vt qui vlla in re excellunt, inuidia statim grauentur, & vel falso deferantur ad aulam principis, vbi nisi fautorem aliquem habeant, illico indicta causa opprimuntur, imo vero penitus euertuntur. Quare & Aniconii, ea qua dictum est opulentiæ præditi, conciliauerant sibi amicum quendam, ex iis, qui tum videbantur in aula præcipui. Is erat Borius Godenouius, Imperatoris tunc regnantis Theodori nempe Innouitsii genere, qui & ipse postmodum defuncto socero in regnum successit, prout ex bellorum Moscouiæ, quæ hodie cum Polonis gesta sunt, historia satis constat.

Huic itaq; Borio constituebant Aniconii omnia reuelare, oblatiisq; prius ei de more muneribus, rogabant, præberet dictis ipsorum aures, vt qui operiendam haberent rem toti imperio conducibilem. Borius atrectis statim ad petitionem istam auribus, multo quam ante solebat, excepit eos prolixius, cumq; exposuissent terrarum Samoiedæ atq; Sibiæ situm, tum quæ inibi conspexissent & obseruassent, & quantæ hinc opes imperio Moscouitico possent accedere, hæc, inquam, cum diffuse ipsi narraissent, licet haudquaquam adderent, quam secreto negotium hoc administraissent, quantasq; sibi iam ante corrasissent diuitias, Borius statim ardere cupiditate cœpit, proposuitq; sibi omnino velle isthæc omnia inquirere. Amplexus igitur eos est non secus quam ex se natos, & vbicunq; poterat eos promouit, concessio Imperatoris nomine amplissimo ipsis diplomate, quo cautum erat, vt sine vlla contradictione, terris, quas possidebāt, perpetuo fruerētur, easq; pro arbitratu ad hæredes.

Aniconii commercia cum Samoiedis exercent.

Aniconii amicitiam sibi in aula magni Ducis cõmparant.

Aniconii Samoiedarum conditionem Borio aperunt.

suos transmitterent. Quin si aliquando accideret, ut hyberno tempore agerent in Moscouia, tollebat eos ipse in suam rhedam, quod summum apud Moscos honoris genus est, maxime cum defertur à viris magnatibus, qualis tunc erat Borius vir potentissimus, & penes quem rerum imperii eius summa erat.

Magnus Dux
Moscouiæ re-
lationem de
Samoiedis ac-
cipit.

Borius attente hæc meditatus, imperatori rem omnem aperit, cui id per quam gratum fuit, qui eum etiam propterea maiore deinceps honore profecutus est, & quicquid de hoc negotio agendum videretur, arbitrio eius permisit. Ille minime rei indormiens centurionibus aliquot, & tenuioris fortunæ nobilibus, clientibusque suis ad hanc rem usus est, iussitque ut cum iis quos daturi essent Aniconii itineri sese committerent, utque splendide legatorum in morem sese vestirent, adiunctis insuper aliquot militibus & munusculis parui pretii, quæ gentibus, ad quas peruenturi essent, distribuerent. Iniunxit autem ut traiectus omnes & flumina, vias item & sylvas & quæ talia ipsis occurrerent, diligenter notarent, quin & eorum vocabula memoriæ inscriberent, ut reuersi singula possent fideliter & veraciter referre, addens ut quam amicissime populos illos tractarent & idoneum aliquem explorarent locum, ubi arces & propugnacula extrui possent, utque omnino (si fieri posset) aliquos regionum istarum indigenas in Moscouiam vna secum adducerent.

Legati Mosco-
ui ad Samoie-
das proficil-
cuntur.

Legati omnibus ad iter hoc cõficiendum necessariis vestibus, armis, pecuniis atque donariis pulchre instructi è Moscouia discedentes ad Witsogdam & Aniconios non multo post deuenerunt, qui & ipsi quosdam è suis eò miserunt. Quin & filii quoque ipsorum & cognati vna profecti sunt, simulatque autem eò venerunt, cœperunt quæ in mandatis habebant exequi, barbaris omnia beneuolentiæ signa liberaliter exhibentes, & sedulo quinam apud eos plurimum possent, scrutantes, quos & honore simul & munusculis affecerunt, exigui quidem iis, imo nullius pene valoris, sed quæ ipsis videbantur usque adeo pretiosa, ut Moscos eminus aduentantes magnis iubilis & applausibus operirentur, sequi ad donantium pedes qui tam splendide scilicet essent exculti, deiicerent, habentes eos plane pro diis.

Samoiedæ
Moscis se sub-
ficiunt.

Mosci interpretibus vsu Samoiedis, per aliquot annos in Moscouiæ pagis linguæ addiscendæ causa versatis, cœpere cum Barbaris de suo imperatore agere, quem miris laudibus extollebant, & tantum non terrestrem aliquem Deum faciebant, multa obiter admiscentes, quibus homines illi mouerentur ad exoptandum, ut oculis ea liceret usurpare. Grata Moscis hæc vota, quare & sua illis iungebant, addentes sese obsides aliquot relicturos, qui dum agerent in Moscouia Barbari linguam eorum addiscerent, atque hoc modo multorum cis Obi hominum animos in suas partes pertraxerunt, qui vltro sese Moscorum imperio subiecerunt, & ab iis taxari etiam passi sunt, promittentes in singulos annos & capita, ne pueris quidem arcum primum tractare discentibus lege exceptis, binas Sabellinorum pelles, ipsis sane quam viles, sed Moscis instar Cimelii pretiosas. Eas promiserunt tradituros se quæstori à principe illic deputando & cõstituendo, quibus quidem promissis euentus nullo modo defuit.

Mosci regio-
nem Samoie-
darum perlu-
strant.

Traiecere dehinc legati fluuium Obi, & ducentas fere trans eum leucas, ortum & aquilonem versus emensi sunt, plurimas passim conspicati insolita specie feras, limpidissimos fontes, stirpes, & arbores rariores, amœnas sylvas & non vnius generis Samoiedas, quorum aliqui Alcibus portarentur, alii rhedis, ab rangiferis siue ceruis, vel etiam à canibus protractis,

tractis, qui celeritate ceruos æquabant. Multa deniq; occurrerunt eis toto itinere ante non visa, admiranda & varia, quæ ordine quidem & fideliter annotarunt, vt reuerſi ea ſuis referre poſſent. Atq; ita tandem & voluntariis aliquot Samoiedis ſecum aſſumptis, & ſuorum nonnullis, qui linguam addiſcerent, apud Samoiedas relictis, in Moſcouiam reuerſi ſunt, vbi prima ſtatim occasione Borio, & per eum imperatori omnem itineris ſui ſucceſſum expoſuerunt.

Mirabantur hi valde adductos ad ſe Samoiedas, eoſq; iuſſerunt edere ſuæ in ſagittando dexteritatis ſpecimen, quod tam ad amuſſim ab ipſis factum, vt vix cuiquam videretur veriſimile. Acceptum namq; cruciatis minorem nummum, atq; ſtipiti arboris alicuius adfixum, digreſſi ab ea tam longe, vt nummulus tantum non eſſet extra conſpectum, ita certo feriebāt quoties iacularentur, vt ne ſemel quidē aberrarent, quod multi è ſpectatorib. ſupra modum mirati ſunt. Contra vero hi Samoiedæ ſummo opere admirabantur cum vitā & mores Moſcorū, tum & vrbis ipſius ſplendorem, nec ſine quodam horrore intuebantur ipſum Imperatorē tam magnifice cultum & vel equo aliquo ſingulari, vel eſſedo à tot ſimul equis protracto inuectum, totq; non minus ſplendide exornatis Satrapis cinctum, tum & prætorianos milites admirabundi ſpectabant ſclopis ſuis inſtructos, quorum ad quadringentos prodeuntem in publicum Imperatorem comitabantur, ipſos quoq; campanarum apud Moſcos ſatis crebrarum ſonitus quotieſcunq; audiebant videbantq; tot luculentas tabernas, reliquumq; vrbis ipſius ſplendorem, toti obſtupeſcebant, ſeq; in Deorum aliquo throno exiſtimabant verſari, exoptantes ſubinde, popularibus ſuis aſſent, atq; hæc omnia referre ipſis poſſent.

Beatos equidem ſe ſuosq; prædicabant ſæpenumero, quibus parere contigiſſet tam glorioſo Imperatori, quē plane habebant pro numine. Cibos ſibi à Moſcis appoſitos auidē comedebant vt facile appareret, eos crudis, quibus domi veſcebantur carnibus piſcibuſq; vento duratis, palato ipſorum acceptiores eſſe. Promiſerunt igitur ſumma cum voluptate, ſuſcepturos ſe imperatorem in Dominum, & popularibus longe lateq; diffuſis, idem vti facerent, perſuaſuros, demiſſe quoq; imperatorem rogarunt, dignaretur ipſos hac gratia, & gubernatores aliquot mitteret, à quibus regerentur, quibuſq; tributa iam dicta perſoluerent.

Quod ad idolotriam eorum attinet, eius nulla tum facta mentio eſt, relictis enim ſunt ſuis moribus. Ego vero exiſtimo fidem Chriſtianam facile apud eos propagari poſſe, ſi nanciſcantur idoneos quosdam & pios doctores, neq; dubito quin & ea in re operam ſuam Moſci ipſis præſtituri eſſent, niſi grauiffimis hiſce bellis diſtringerentur & impedirentur. Aniconii quidem hac ratione ad magnos honores euecti ſunt, magnaq; paſſim immunitate, quin & imperio in nonnulla terris ipſorum finitima loca donati ſunt, latifundia centum inter ſe miliaribus diſſita, ad Dunam, Witſogdam & Sochnam flumina poſſidentes, adeo quidem, vt & potentiſſimi ſint iam & opulentiſſimi, maioribusque indies honoribus augeantur.

Conſtitutum autem præterea in Moſcouia eſt, deligenda eſſe ad flumen Obi & in finitimis ei campis loca, ipſa ſui natura aliquantum munita, in iisq; condendas & præſidiario milite firmandas eſſe arces, ac omnino mittendum eò Gubernatorem aliquem generalem, qui terræ vltèrius detegendæ & ſubiiciendæ ſtudeat. Hæc vti fuerant conſtituta,

Samoiedæ
cum ſumma
admiratione
in Moſcoui-
am veniunt:

Samoiedæ
magno Moſ-
couiæ Duci
ſe ſubiiciunt:

Samoiedæ in
idololatria
ſua relinquuntur.

Moſci arces
& vrbes in ter-
ra Samoieda-
rum extruunt.

stituta, ita & effectum postea sortita sunt. Ac principio quidem extructæ sunt aliquot arces, validis è nemoribus illic excisis trabibus intertextæ, hinc terra oppletæ & præsidio communitæ. Tanta autem indies eo mittitur hominum multitudo, vt in aliquot locis collectæ iam sint ciuitates à Polonis, Tartaris, Russis aliisque nationibus inter se mixtis conflata. Relegantur enim in illas oras omnes quotquot sunt exules homicidæ, proditores, fures, atque eiusmodi hominum morte dignorum fex alia, quorum alij aliquandiu asseruantur in vinculis, alij ad aliquot annos coguntur ibi subsistere, quisque pro delicti sui modo & grauitate, vnde populosa paulatim coaluerunt hominum societates, quæ vna cum arcibus iam extructis iustum fere conficere regnum possunt, confluentibus eo quotidie multis tenuioris fortunæ hominibus, eo quod plurimæ illis conceduntur immunitates, nec pro agris quicquam persoluere cogantur.

Siberia & Siber regio & vrbs inter Samoiedas à Moscic habitata.

Tractui isti, quem noui homines incolunt, Siberiæ nomen est, vrbs in eo extructa Siber vocatur. Et initio sane facinorosi Moscorum ad auditum Siberiæ nomen non aliter expauescebant, quam flagitiosi apud Amsterodamenses ad famosum illud ergastulum in ea vrbe constitutum. Ablegabantur enim illico Siberdamum. Iam vero nimia pœnæ illius frequentia, in contemptum fere abiit. Optimates tamen & nobiles Mosci, si quando incurrerunt in principis indignationem, Siberiæ nomen adhuc multum abominantur. Relegantur enim nonnunquam & ipsi, vna cum vxoribus & omni sua familia in illas oras, committiturque ipsis ibi aliquis magistratus, dum ira imperatoris sedata, in Moscouiam iterum reuocentur.

Descriptio sequentis itinerarii, non sine magna molestia comparata fuit.

Hactenus quæ ad historicam regionum istarum descriptionem faciunt, annotauimus; deinceps quonam in illas terras è Moscouia itinere perueniendum sit, breuiter ostendam, idque non nisi pro modulo acquisitæ mihi inde notitiæ, quam ipsam, qualiscunque tandem videbitur, non sine magna mea molestia, & benefica amicorum quorundam, mihi, dum apud Moscos versarer, in aula comparatorum, opera, nactus sum. Ipsi enim quamuis essent in me procliues, & ego etiam quam diutissime apud eos institissem, vix tandem ausi sunt itinerarium hoc mecum communicare. Nam si & postea quoque, tranquillis regni temporibus, id aliquà erupisset, actum profecto de eorum omnium capite fuisset, cum eo Mosci ingenio sint, vt imperii sui arcana reuelari minime ferant & patiantur.

ITINERA-

ITINERARIUM,

Seu

BREVIS OMNIUM ITINERUM ET FLUVI-
VIORUM ORTUM ET AQUILONEM VERSVS E
Moscouia in Siberiam, Samoiediam, & Tingoefiam ducentium,
prout à Moscis quotidie frequentantur, descriptio.

ADDITA

OPPIDORUM A MOSCIS IN SIBERIA CONDITO-
RUM NOMENCLATURA, QUORUM IN EO TRACTU PROREX, TER-
*ras illas paulatim explorandas, inuadendas & colonis occupandas procurat, & iam
tantum non in maiorem vsque Tartariam
penetrauit.*



X vrbe Soila ad Witsogdam sita, vbi habitant Ani-
conii, contendunt Moscici aduerso flumine, dum per-
ueniant Iauiniscum, oppidulum à Moscicis conditum,
& septendecim fere dierum itinere à Soila distitum,
quo priusquam deueniant, multa flumina, multasq;
sylvas pertranseunt. Profluit autem Witsogda è
montibus Ioegoriis, Tartariæ ad Austrum conter-
minis, atq; hinc, Boream versus, ad ipsum vsq; oceanum procurrentibus.
Ex iisdem montibus oritur & Petzora, qui cis fretum Weigathium oce-
ano se commiscet.

Soila oppi-
dum ad VVit-
sogdam flu-
uium.
Iauiniscum
oppidum.

Ortus fluui-
um VVitfog-
da & Petzoræ.

Iauinisco digressi post trium hebdomadam iter deueniunt ad Ne-
mum, quod tam leni per sylvas fluit agmine flumen, vt inde sibi nomen
inuenerit. Neem namq; ipsorum lingua, Latinis mutum significat. In
eo quinque propemodum dies ratibus suis vel scaphis nauigant, post-
ea vero compendii causa, properante videlicet aliorum Neemo, sar-
cinas suas, ad vnam duntaxat leucam, terra portandas curent neces-
sum est, quo facto ad Wiseram deueniunt, flumen è quibusdam rupi-
bus, Ioegeriorum montium appendicibus profluens, quas Camenas
Moscici vocant.

Neemum
flumen.

VVisera flu-
men.

Feruntur hic nouē continuos dies secundo Wisera, donec Soil-Cam-
scoiam perueniant, oppidulum refocillandis aliquantisper viatoribus,
terrestri deinceps itinere progressuris, à Moscicis extractum. Wisera vero
continuato aliquantenus cursu, tandem Camo se miscet, Viaticam,
Moscouiæ oppidum præterfluenti, qui quidem Volga 70. ostiis exone-
ratur in mare Caspium, vt ex iis accepi, qui coràm id intuiti sunt.

Soil Cam-
scoia oppidum.

Oppidum Soil-Camscoia mediocriter habitatum est, & pagis com-
pluribus cinctum. Incolæ Russi fere aut Tartari. Pecoris & præsertim
equorum hic magna copia. Viatores itaque paululum recreati, sarcinas
suas equis imponunt & per montes fere contendunt, abietibus, pinis &
raris quibusdam aliis arboribus confitos. Traiiciunt vero inter hos i-
psos montes flumen Soibam, hinc Cosnam vtrumque ad Aquilonem
procurrens.

Descriptio
Soil-Cam-
scoiæ oppidi.

Montes hi in tres partes distribuuntur, quarum duæ priores singulæ
bidui, tertia quatruidui itinere superantur. Ac primæ quidem nomen est
Cos Winf Coji-Camen, alteri Cirginfcoii-Camen, tertiæ Poduinfcoji-
Camen. Et sunt sane hæc ipsa montana ab iis vnde egressi sunt terris
multum diuersa. Pulchriores in iis & arboribus densiores syluæ, varias

Montes in
tres partes di-
uisi.

D

passim

passim gignentur stirpes. Frequentantur autem hæc tria deserta à Tartaris fere & Samoiedis, nihil quam pretiosas pelles, Imperatori Moscorum pendendas, in iisdem venantibus. Montes Poduinscoii Camen cæteris altiores & niuib. passim nubibusq; cooperti, ideoq; viatoribus superatu difficiles, fiunt tamen paulatim decliues.

Vergateria
primum Sibe-
riæ oppidum
proregis Mos-
couici sedes.

Hinc Vergateriam deuenitur, in quo oppidulo subsistendum est, vsq; dum appetat ver, idq; ob flumen Toeram, quod vicinis illic locis exortum, reliquo anni tempore perquam vadofum est. At vero vere nouo, gelidus canis cum montibus humor liquitur & magnis accrescunt autibus amnes, scaphis & lembis traicitur. Vergateria primum est terræ Siberiæ oppidum, & non nisi ante annos viginti & vnum, vna cum aliis aliquot oppidis cœptum condi. Est autem & rectis mediocriter frequens, & coluntur hic agri non secus quam in Moscouia. Residet hic Imperatoris Moscouiæ nomine Gubernator, qui magnam quotannis, initio statim veris, frugum & annonæ copiâ, in omnes præsidio militari munitas per vniuersam Siberiam arces, fluuiorum beneficio distribuit, quin & Moscis trans Obi degentibus, eadem via vt succurratur prospicit, cum tellus ibi nondum colatur, & Samoiedæ ferina, vt plurimum victitent.

Iaphania op-
pidum.

Secundo Toera quinque dierum itinere Iaphaniam deuenitur, oppidum ante biennium structum & colonis infessum. Hinc rursus feruntur secundo Toera, & biduum sic progressi, coguntur hoc flumen ob anfractuosos eius meatus subinde traicere, vt videlicet faciant viæ compendium. Habitant iam in his locis Tartari passim & Samoiedæ pecuaria fere nauiculariaq; sese sustentantes.

Tinna oppi-
dum populo-
sum.

Tandem relicto Toera ad ingens flumen Tababum deueniunt, ducentis circiter leucis Vergateria distitum, & hinc Tinnam porro contendunt, oppidum populosum, & ab iis quos ante diximus, conditum. Multi vero & rhedis hyberno tempore, duodecim fere dierum spacio Iaphania Tinnam perueniunt. Atque hic magna pellium pretiosarum inter Moscos & Tartaros Samoiedasq; vigent commercia, estque commodus valde hic locus iis, quibus non nisi semestri spacio emanere decretum est, sed multi vltiora scrutantur & longe trans Obi fluuium, ortum & meridiem versus contendunt.

Tobolsca me-
tropolis Sibe-
riæ

Tinna deuenitur Tobolscam, Siberiensium oppidorum Metropolim, in qua ipsa Siberiæ, & Moscorum in ea supremi Proregis sedes. Deferuntur hic annuatim à reliquis tractus totius oppidis, tam cis quam trans Obi, tributa, quæ in vnum collecta, & præsidario milite circumsepta, in Moscouiam porro ad Imperatorem perferuntur. Seuerissime quoq; hic dicitur ius, & tenentur, quotquot sunt in Samoedia Siberiaque Gubernatores, huic vni parere. Vigent propterea rerum è Moscouia aduectarum in ea vrbe commercia, confluentibus eo è tractu australi & ab extrema fere Tartaria Tartaris, aliarumq; nationum hominibus, qui quo longius peruagatur regionum istarum fama, eo frequentiores concurrunt, vnde magna profecto redit ad Moscos utilitas, qui tam placide facileq; has sibi gentes subiugarunt, vt nihil ipsis nunc metuendum sit, cum eas sibi habeant addictissimas.

Barbari leni-
tate & huma-
nitate expu-
gnantur.

Exstructa autem sunt insuper passim templa & ædes sacræ excitatæ, in quib. Græca exercetur religio, quæ apud Russos aliosq; septentrionis populos in multo vsu est, licet variis superstitionib. deprauata. Vt cunq; sit,

fit,

fit, nemo illic inuitus ad fidem cogitur, sed adhibentur à Russis lenia quædam remedia, quibus homines illi persuadeantur & lucrifiant. Atque utinam crudeles illi Hispani, loco immanis suæ tyrannidis, tam placidis modis subiugassent Americam, non laborarent profecto tam graui inuidia; plus enim proficitur apud eiusmodi homines lenitate & clementia, quam crudelitate & vi externa, prout ipsemet expertus sum, & à Moscicis aliquoties audiui.

Sita est vrbs Tobolsca ad Yrtim flumen, quod rapidissimo cursu, & ceu alter quidam Danubius, ab austro exortum in Obi fluuium aquas suas euoluit, videturq; ex eodem cum illo tractu profluere. Ab altera parte fluuius Tobol est, à quo vrbi nomen datum. In hunc influit Tassa flumen, quod ab aquilone, & certis illic ad oram montibus videtur profluere.

Ad huius ripam Mosci nuper oppidum condiderunt. Pohemium nomine, petitis è Siberia incolis habitatum, non alia quidem de causa, quam quod agro cingatur eximie fertili, tum & perquam amœnis syluis variarum ferarum, pantherarum, lyncium, vulpium, Sabellorum & Marterarum nutricibus. Distat vero Tobolsca Pohemium duarum vel circiter hebdomadarum ad aquilonem itinere.

Yrtis pari fere à Tobolsca spacio Obi fluuiio se commiscet, atque ad eius ostium conditum fuit oppidum Olscoygoretum, sed postea iussu Gubernatoris Siberiæ dirutum, nulla quidem tunc addita causa, quam ego tamen suspicor fuisse nimiam frigoris vehemētiam, vel quod ipsum oppidum mari esset vicinius quam ipsi vellent, metuerentq; ne quid inde subotiretur incommodi. Quocirca in quadam Obi fluminis insula, quinquaginta plus minus supra dirutum illud leucis, oppidum aliud condiderunt, cui nomen est Zergolta.

Hinc aduerso flumine nauigantes, contractionibus vtuntur velis, siue quod languidius & remissius venti spirant, siue ob altitudinem ripæ, adeo quidem, vt licet amplissimus passim sit Obi fluuius, scaphas tamen in eo funibus, eodem plane quo Moscouiæ fluuios superant modo, protrahant.

Ducentis supra Zergoltam leucis Noxinscoiam deueniunt, arcem tredecim ab hinc annis exstructam, quo tempore magnus Gubernator certos è Siberia homines eo dimiserat, terras humano generi cõmodas atq; oppidis extruendis idoneas indagaturos. Hanc igitur arcem tunc temporis condiderunt, & præsidio aliquo militum munierunt, tractu perquam amœno, salubri, tepido, fertili, & in quo maximus rara specie bestiarum auliumq; est numerus. Arx igitur ista paulatim in ciuitatem excreuit, cuius incolis iniunctum fuit, vt ad vltiora tepidioraq; loca pedetentim progredierentur, & candide vbiq; negotiarentur, obuios quosq; populos benigne humaniterq; tractantes, quo latius tandem regnarent, & Russicum nomen diffunderent. Quare gregatim eo profecti & ad quadringentas in mediterranea leucas progressi, pulchros quidẽ, sed desertos terrarum tractus inuenerunt.

Cum vero decem ab hinc annis, ducentas aduerso Obi leucas progressi, incidissent in regionem non minus vberem, quã amœnam, quæque & tepida admodum esset, & nullo plane laboraret incommodo, hinc me nimisquam breui ac propemodum nulla, sumpserunt hinc occasionem in Siberiam reuertendi, atq; hæc in Moscouiam porro denunti-



Tobolscæ
vrbs situs.

Pohemium
oppidum nu-
per exstructum.

Olscoygore-
tum oppidum
desolatum.

Scaphæ funi-
bus protrahuntur.

Noxinscoia
arx & oppi-
dum.

Tooma vrbs
in amœno lo-
co sita.

riandi. Imperabat ibi tum temporis ipsemet, cuius in superiori historica relatione mentio facta est, Borius Goddenouius, qui accepto tam læta nuncio, rem minimè differendam censuit, sed illico in mandatis Gubernatori Siberiæ dedit, ut quamprimum ibi urbem condendam curaret. Paruit Gubernator, & extracta eius iussu est arx vna cum aliquot domibus, vnde nunc luculenta vrbs facta, cui nomen impositum est Tooma, eo quod intellexerunt magnam Tartarorum multitudinem eo loci olim consedisse, à quibus hæc vrbs ob eximiam situs amœnitatem id nomen acceperit. Dicebantur vero Tartari isti etiam tunc habere Regem, nomine Altinum, vnde factum ut condita primum vrbs multos diuersorum populorum in campis & agris illis degentium imperus sustinuerit. Nunc vero tam potens est, ut successu temporis videatur & hinc mediocre regnum aliquod surrecturum.

Ostachii populi Tartarici

Cæterum inter arcem hanc Naxinscoiam, urbem Toomam & Siberiam Mosci multos quotidie detegunt in mediterraneis locis habitantes populos, quorum aliqui sese Ostachios nuncupant, & cum Tartaris, Samoiedis Russisq; in vnum iam corpus coaluerunt, amice inter se negotiantes. Multi autem apud ipsos Reges sunt, Indicis vere similes, (de minoribus loquor, non de maioribus Indiæ regibus.) Et ut paucis dicam: Mosci in illo terrarum tractu tam magnos fecerunt progressus, ut id nobis haud immerito mirum videri possit.

Tara, Iorgoetum & alia oppida.

Sunt præterea arces oppidaq; complura inter Obi & Yrtim fluuios, eodem fere cum Tobolsca tempore condita, & iam satis lauta, quorum incolæ Mosci, Tartari Samoiedæ ex eorum genere quos cicures, aliorum qui prorsus barbari sunt respectu appellamus. Et inter oppida quidem primum est Tara, quo loci decem fere dierum inter Obi & Yrtim intercapedo est. Iorgoetum ante quindecim annos extractum. Besobia & Mancan soiscoigoratum, vtraq; supra Iorgoetum ad austrum posita. Ad occidentalem vero fluminis Obi ripam incolæ magis magisq; indies progredi student.

Oppida cis & trans fluuium Obi sita.

Cis Obi sitæ sunt vrbes Tobolsca, Siberia, Beresaiæ & quædam aliæ, ad diuersos fluuios conditæ, & extrauntur indies plures. Trans Obi sunt Narima, Tooma & quædam aliæ, quorum incolæ equorum vice vtuntur rangiferis siue ceruis, ipsis etiam canibus velocioribus, quos cum alio piscium genere, tum raris imprimis saginant, quod existiment eo cibo vires eis mirifice augeri. Iorgoetum ut supra dixi, in Insula fluminis Obi extractum est, iam vero & supra Narim ortum versus tendentibus flumen occurrit Telta nomine, ad cuius ripam arcem ædificarunt, nomine Comgoffcoiam, cuius præsidarii milites vna cum Narimentibus, annis ab hinc circiter septem, à Gubernatore Siberiæ iussi sunt rectè ad Ortum tendere, & ecquæ illinc agerent ignotæ gentes sedulo indagare. Itaq; decem vel circiter hebdomadarum itinere per vasta quædam deserta progressi, multis per viâ pulchris tractibus, multis syluis, fluminibusq; occurrentibus, tandem magalia quædam in campis erecta, & iuxta illa hominum quosdam cætus conspicati sunt, cumq; ducibus vterentur Samoiedis & Tartaris, locorum illorum gnaris, nihil timuerunt.

Comgoffcoia arx.

Tingoestorū regio & lingua.

Accesserunt ergo ad eos barbari reuerenter & venerabundi, perque Samoiedas & Tartaros significatum eis, Tingoestios se vocari & secus magni fluuii Ienisceæ ripam habitare, quem à Vulturno quidem affirmabant profluere, sed ignorare se eius fontem. Hi homines strumis à

mento

mento propendentibus erant deformes, & inter loquendum non aliter gloriebant quam gallopau. Videbatur autem ipforum lingua non multum abire ab idiomate Samoiedarum, qui & plerasq; eorum voces edifferebant.

Ieniscea fluuius longe quam Obi maior, ab ortu habet excelsos montes, interq; illos & igniuomos quosdam, sulphur idemtidem eiicientes, ab occasu planum est solum & insigniter fertile, stirpibus, flosculis, & arboribus variis generis confutum. Multi quoq; in eo peregrini gignuntur fructus, magna auium rariorum copia. Inundat campos ad septuaginta circiter leucas verno tempore Ieniscea, non secus, vt quidem nobis relatum est quam Nilus Aegyptum, quod non ignorantes Tingoefii, trans ipsum flumen & in montanis insuper degunt, dum id decrescat, redeuntes deinde & armenta sua ad plana reducentes.

Ieniscea fluuius ingens.

Tingoefii gens mire humana, Samoiedarum instinctu, subiecerunt sese illico iisdem a quibus ipsi regebantur Gubernatoribus, eosq; reuerentur ceu quosdam Deos. Quod autem numen, & quo ritu id colant, incertum est, neq; sciri haecenus potuit, Moscicis negligenter nimis in haec talia inquirentibus.

Tingoefii Moscicis se summittunt.

Quod autem fretum Weigatsium quotannis ad Aquilonem tam immensis e glacie montibus obstruatur, non mirabot amplius, cum & Obi & Ieniscea & innumeri praeter hos, quorum nomina nec dum sciuntur, fluuii, tam immanem eius effundant vim, vt omnem pene fidem exsuperet. Fit enim initio statim veris, vt in locis mari vicinis, glacies, praeter incredibilem suam crassitie simul & multitudinem, totas secum sylvas auferat. Atq; hinc adeo est, quod ad littora freti Weigatsii tanta passim conspiciatur lignorum vndiq; confluentium copia.

Fretum Weigatsium vnde tot ligna & tantam glaciem habeat.

Cum vero etiam in illo ad nouam Zemlam freto extrema rigeant frigora, nihil mirum, si praeter ipsa freti angustia tam immanes coaceruentur & coalescant glaciei moles, vt ad sexaginta, vel ad minimum quinquaginta passuum crassitudinem tandem excrescant, vt superioribus annis demensi sunt illi, qui sub imperio Isaaci Lemerii, minori nauigio illuc profecti sunt, quibus idem ille Lemerius ex familiaribus meis aliquem adiungere comitem tentauit, sed frustra. Ego enim paratus sum demonstrare, iter illud non esse peruium, & semper lufuros operam quotquot vnquam id tentaturi sunt, nisi alia via rem aggrediantur.

Glacies in freto ad nouam Zemlam vnde.

Verum vt ad institutum redeamus, susceperunt praeterea ii quos dixi, longinquum iter trans Ienisceam fluuium, sed recta ad ortum via, nam ad austrum vix vnquam deflectere ausi sunt, assumptis aliquot secum Tingoefiis, a quibus didicerant habitare complures ad austrum gentes, quae ab ipsis essent multum diuersae, & quarum Reges perpetua fere inter se bella gererent. Verum cum aliquot dies progressi nihil profecissent, tandem ad suos reuersi sunt. Tingoefiis tamen prius in mandatis dederunt, vt penitus tractus illos perlustrarent, qui id se facturos receperunt, & foedus iam ante cum Moscicis initum redintegrarunt.

Iter longum trans Ienisceam ortum versus suscipitur.

Discedentes Moscicis reliquerunt in illis oris nonnullos ex suis, tum & foederatos aliquot Samoiedas & Tartaros, distributis in barbaros donariolis. Tingoefii vero sequenti statim Anno nonnullos suorum recta ad Orientem dimiserunt, qui longius aliquanto quam ante progressi, tandem & alium quendam inuenerunt ingentem fluuium, Ieniscea quidem

Tingoefii barbaros quosdam inueniunt quos intelligere non possunt.

minorem, sed pari rapiditate, cuius cursum aliquot dies secuti, inciderunt in quosdam homines, quos cursu anteuertentes apprehenderunt. Sed eorum sermonem non assequerentur, nisi quod è certis quibusdam signis & vocibus barbarorum Om Om subinde ingeminantium, coniecerunt, ab altera fluminis parte crebra audiri tonitrua. Addebant & hominum strepitus inibi sæpius exaudiri, & intenso in flumen digito, Pisida aliquoties repetebant, vnde collegerunt Tingoefii, id fluuii nomen esse. Vocibus vero Om Om diuinarunt postea Mosci designari bombos notarum vel campanarum sonitus. Redeuntes dehinc Tingoefii, assumpserunt secum nonnullos tractus istius incolas, qui perierunt omnes in itinere, quod an pauore quodã & metu, an verò aeris insolentia factum, ignoratur. Ipsi tamen Tingoefii mortem eorum molestè ferebant, reuerfi namq; adseriebant, homines fuisse ingeniosos, corpore bene compacto, oculis paruis, facie plana, colore fusco, & ad luteum fere vergente.

Mosci ad fluuium Pisidam contendunt regionem exploraturi.

Hæc cum didicissent è Samoiedis, ex tractu Tingoefiorum in Siberiam redeuntibus Mosci, magna statim cupiditate correpti sunt, vltiora eius tractus inuestigandi. Petierunt igitur à Prorege, se, comitibus aliquot adiunctis eò dimitti, qui petitioni statim annuit, concessaque ipsis militum aliqua manu, mandauit vt curiosè singula quæque explorarent, & Tingoefios, Samoiedas atque Tartaros secum assumerent. Ita igitur illi septingenti circiter numero traiecerunt fluuium Obi, & per Samoiedarum & Tingoefiorum terras deuenierunt ad Ienisceam, quo traiecto, perrexerunt porro ad ortum, ducibus vti Tingoefiis, qui non tantum anteambulorum obibant munus, sed de comearu quoque omnibus abundè prospiciebant, captis mira quadam dexteritate auibus, capris, rangiferis, aliisque id genus feris, quin & piscium non exigua è fluuiis per viam occurrentibus, copia.

Mosci audientes campanarum sonitum, Pisidam traicere non audent.

Progressi ad Pisidam fluuium fixerunt ad eius ripam tentoria, animo subsistendi, dum id fieret per vium, glacie breui soluenda, cum iam appeteret ver, quo tempore eò deuenirent. Non traicere tamen Pisidam ausi sunt, sonitu, de quo ante acceperant, iam palàm audito, quem certo iudicabant nihil aliud esse, quam æris Campani mugitum, flante vero ab vltiore Pisidæ ripa vento, exaudiebant & hominum & equorum interdum strepitus, vela quoque nonnulla, sed paucula tamen conspicati sunt, vnde coniecerunt esse nauigia, quæ secundo flumine deorsum tenderent, addebant, vela fuisse quadrata, Indicis vt arbitramur similia.

Mosci à Pisida flumine re infecta reuertuntur.

Verum nullis plane ab ea vbi constiterant parte vsquam conspectis hominibus, cum aliquandiu illic hæssissent, & verno tempore comperissent, flumen valde augeri (quod tamen vix potest, vt ex certo narrauerint, cum præalta vtrinq; sit ripa) tandem longis admodum itineribus, ac non nisi autumnò reuerfi sunt, referentes, & quidem iurati, se se Aprili & Maio mensibus admodum delectatos fuisse pulcherrimo tractus illius aspectu, & complures in eo vidisse rariore stirpes, flores, fructus, arbores, aues, feras. Sedenim Mosci talium minime curiosi, vt qui nihil præter lucrum captent, cætera prorsus inculti, ea facile neglexerunt.

Cæterum ad aulam his perlatis, Borius Imperator, & quos secum habebat

habebat proceres, multum mirati & magno singulorum exactè inquirendorum desiderio inflammati, statuerunt anno sequenti eo mittendos legatos, munera secum ferentes, & Tartaros, Samoiedas Tingoefiosq; comites itineris secum assumentes. His iniunctum fuit, vt vltiorem Pisidæ ripam lustrarent, & cum Regibus, si quos inuenirent, amicitiam contraherent, annotantes quæcunq; per viam obseruaturi essent, vt quam accuratissime omnia renunciare possent. Neq; enim mirari satis Mosci poterant auditos campanarum sonitus, sed caruerunt hæc suo effectû, ob exortos interea apud Moscos bellorum ciuiliû & externorum cum Polonis hætenus gestorum motus, vt ex belli ipsius descriptione videre licet.

Magnus Dux Moscouiæ constituit legatos trans fluuium Pissidam mittere.

Crediderim ego initia illic esse & fines, regni Cathaiæ, Chinæ Indiæque contermini, vereor tamen Moscos inanem sumptuos operam, si vnquam eo redierint, sed docebit hæc tempus. Facta est nihilominus iussu Gubernatorum etiam durante bello in tractus illos expeditio, multis è Siberia ciuibus eo profectis, qui traiecto Leniscea, pedibus ad vltiora progressi sunt, plerisque vitæ commodiori aduetis, præ itineris incommoditate in via defunctis. Inuenerunt autem & hi pleraque superiorum narrationi conformia, exaudientes subinde & ipsi, æris Campani mugitus, sed dissuadentibus Tingoefiis non sustinuerunt flumen ipsum traicere, sed hæserunt aliquandiu in montibus, vnde & crebras emicare flammæ, & sulphuris aliquantum, tum & Lydii lapidis reportarunt, vnde quidem coniecturam facere aliqui voluerunt, diuites quasdam ibi fodinas esse.

Fines regni Cathaiæ, Chinæ Indiæq; contermini.

Iussit insuper Gubernator Siberiæ parari coopertas aliquot scaphas, easque primo statim vere secundo Obi ad oram decurrere, eamque tantisper legere, dum peruenirent ad Lenisceam, in quo deinde aliquot dies nauigarent, donec mari (vt quidem ipse existimabat,) sese commisceret. Contra vero misit & qui terrestri itinere eo contenderent, mandato prius vtrisque dato, his quidem vt tantisper ad fluminis eius ripam præstolarentur, dum appellerent scaphæ, quæ nisi aduenirent, tum ipsi post annum reuerterentur: illis verò, quibus Lucam quendam dedit præfectum, vt oram & quicquid in ea notatu dignum accurate lustrarent, & singula quæque ordine ac diligenter annotarent. Factum quod iussum, & appulsi ad ostium fluminis nauæ, inciderunt in quosdam eorum, qui terra erant profecti, scaphis ratibusque secundo Lenisceam præmissos. In itinere vero inuenerunt ita sese ferme rem habere, prout diuinarat Gubernator. Sed mortuo interim Luca, & aliquot aliis, consultius rati sunt se facturos, si facta discessione, eadem qua venerant via vtriq; reuerterentur.

Mosci emittuntur exitum fluminis Obi exploratum.

In Siberiam igitur reduces Gubernatori narrarunt, omnem itineris sui successum, qui deferendum eum porro commisit ad Imperatorem, & asseruatur quidem hæc ipsa narratio in thesauris Moscouiæ, donec componantur hæc bella, tunc vt putatur examinanda, sed periculum est, ne iam perierit, quod si factum, profecto dolendum est tam raris tamq; diuersis ab iis inuentis Insulis, fluuiis, aibus, & quidem longe trans Lenisceam, in ea consignatis.

Itineris huius descriptio in aula Moscouitica conseruatur.

Habebam id temporis in Moscouia amicum quendam, cuius frater expeditioni huic interfuerat. Is tabulam quandam, ex fratris iam mortui ore exceptam & à se delineatam mihi tradidit. Nauigauerat ipse per

fretum

fretum Weigatsium, eratq; omnium vsq; ad Obi locorum gnarus, sed quæ trans illud flumen sunt, ea tantum habuit ex auditu. Est ergo hæc ipsa quam damus tabella rudis duntaxat illius oræ delineatio, quam ipsam tamen non sine magna molestia nactus sum, & si res fieret palam, actum esset de Mosci illius vita, cuius nomen idcirco non prodimus.

Toas fluuius.

Influit præterea in fluuium Obi flumen Toas, profluens vt videtur ex locis Ienisceæ vicinis, & vasta quadam in iis sylua, ex qua & alius, non procul ab illo priore, videtur oriri fluuius, Ienisceæ itidem se commiscens, adeo vt inde ab Obi fluuii, aqua proficiscantur per terram Samoiedarum, & duabus duntaxat terra confectis leucis, incurrant in flumen Torgalsum, quo secundo deferuntur in Ienisceam. Estque commoda sane hæc via, & à Samoiedis atque Tingoesis non ita pridem inuenta.

Hollandis quid circa explorationem harum terrarum faciendum.

Dolendum vero quod non succedat Hollandis, vt superent fretum Weigatsium. Sed nimirum ipsi ignorant quam id aggredi debeant via. Nam nauibus quidem, vel centies si tentarint, vix semel succedet. Quod si omnino inuestigare vellent has terras, tum biennio vel triennio circa Weigatsium & Petsoram ipsis hærendum esset, vbi nec portus defuturi sunt, nec commeatus. Inde vero scaphis emittendi qui vltiora scrutarentur, ipsorum adeo Ruscorum exemplo, quos si amicos sibi adiungerent, facile inuenirent viarum duces, & sic tandem hæc omnia detegerentur.

America vtrum cum reliquis orbis partibus cohæreat.

Et quidem inuenirentur haud dubie pulchri tractus, & non Insulæ tantum, sed & continens. Dubitari tamen non immerito potest, an America circa Chinam non cohæreat cum aliqua trium veteris mundi partium, velut Africam Asiæ Isthmo quodam ad sinum Arabicum videmus coniungi? Et sane videtur hoc verisimile. Quis enim est, qui adfirmet disiungi, nisi quod in gentilium scriptis quædam inuenerint, quibus id adstruatur, multaq; inde argumenta proferantur.

Homines quomodo in Insulas peruenierint.

Quod si maxime non cohæreant istæ quas dixi partes, tunc Augusto admodum freto oportet disiunctæ sint. Nam parum abest, quin adseram fieri plane non posse, vt creato in Asia Adamo, homines in Americam vnquam peruenerint, cum nusquam legatur in scripturis, ante diluuium fuisse vlla nauigia, & satis constet non esse plures quam vnum mundum, nec aliunde originem habuisse creaturas, quam ex Paradiso. Quæret forte aliquis, qui ergo potuerit fieri, vt in Insulas primum homines transfretauerint? Respondeo id factum videri post diluuium. Et in America notum est, esse fretum, quale & inter ipsam Americam Asiamque fieri potest, vt intercedat. Quanquam multi fortiter adstruant, intercedere inter eas vastum pelagus, quod plus centum leucis in longitudinem pateat.

FINIS.



ICONES,

Seu

TABVLÆ CHORO-
GRAPHICAE, SITVM ET

QUALITATEM REGIONVM, QVARVM
*in explicata hactenus descriptione mentio facta est, ad
vium repræsentantes,*

IN AES PVLCHERRIME INCISAE, IN QVE
lucem data

à

Iohanne-Theodorico de Bry.



FRANCOFVRTI,

Typis viduæ MATTHIÆ BECKERI.

M. DC. XIII.



TABULA CHORO
GRAPHICAE SIVM ET

ORATIONE SIVM
ORATIONE SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM


IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

IN SIVM SIVM SIVM

I.
ICON SEV DELINEATIO
INSVLÆ WARTHVSII IN
 Lappia sitæ.

VT cognitionem lector eo meliorem Insularum terrarumq; in Aquilonari navigatione passim occurrentium acciperet, non generalem solum Chorographicam tabulam apponere narrationibus hisce, sed præcipuarum etiam Insularum, ad quas pertingere nauigantes, antequam Nouam Zemlam assequantur, solent, Icones delineationesq; affabrè factas & in æs incisas adiungere voluimus. Habes igitur hic lector Warthusium Insulam, vna cum primaria eius vrbe & portu, quemadmodum illa ab Hollandis Duce Iohanne Hugone Lintschottano detecta est.



Extra haec insulam exiguam quietam et copulsa
inhabita ab incolis postea quare ipsorum ad insulam
piscatorum usque exiit

WARDHVSIVM. Templum.


Principalis portus
et Statio nauium.

II.

CHILDVYNUM LAPPIAE

Insula.

DElineatio hæc est Childuyni Insulæ in Lappia sitæ, cum primaria eius vrbe & portu, quemadmodum ea ab Hollandis duce Iohanne-Hugone Lintschottano superioribus annis manifestata & detecta fuit. A litera, partem Insulæ qua orientem, B, partem eius qua occidentem spectat, C, Canalem, ad duo miliaria in longitudinem, & ad dimidium miliare in latitudine excurrentem, D, portum, in eleuatione 69. graduum & 40. minutorum situm, qui 14. vel 15. orgyrum profunditatem habet, denotant.



*Delinatio vera Insula
Kilduyna facta à Io-
hannes Hugonis Lint
schotano, Anno. 1594*



*Vera genuina indubitataque demonstratio
et conditio stationis marina atque mapa:
liorum Insula Kilduyn, ad vitrum des-
cripta postquam anchoris ibi jactis appu-
linus, ipso mense Iulij Anni 1594.
per
Ioannem Hugonis à Linschoten*

III.
SAMOIEDARVM IDOLO-
latria & vectura.




Amoiedæ ad Obi fluuium habitantes populi, simplices & agrestes sunt, vitam suam ferarum carnibus maxima parte sustentantes, pane scilicet & frumento omni destituti. Solertes autem & industrii sunt sagittarii. Arcus è lento quodam & flexibili ligno conficiunt, eosq; acutis lapidibus vel etiam piscium spinis, præmuniunt. Suere etiam solent piscium spinis, easq; pro acibus habent, quemadmodum animalculorum quorundam nervos pro filis. Vestimenta sibi ex pellibus ferarum conficiunt, quarum pilos æstate quidem extrorsum, hyeme vero introrsum conuertunt. Domos suas alcium pellibus tegentes, quas nullo fere in pretio habent. Peregrè abituris rhedis vtuntur ab rangiferis siue ceruis, canes celeritate superantibus protractis. Quod ad religionem ipsorum attinet, ea tota ethnica & idololatræ est. Hinc in cæpis passim & agris, statuas videre est agresti opere & crassa Minerua ex solido ligno factas & humanam faciem in superna plerunq; parte, interdû vero etiam in media & inferiori partibus representantes, adiunctis simul ceruorum & aliarum ferarum cornibus, coram quibus in genua procidentes, sacrificia & preces suas peragunt.

SAMUEL EDWARDS IDOLO



The text below the illustration is extremely faint and illegible. It appears to be a block of text, possibly a description or a historical account related to the scene depicted above. The text is arranged in several lines, but the characters are too light to be read accurately.




Tabula Septentrionalis Russiæ, Samoithiæ et Tingosiæ, quemadmodum ea ab Æthiopia Separata et ab Isaaco Massa descripta est.


Explicatio quorundam Vocabulorum Russicarum

Belofort	Insula alba	Suechoranare	Mare arcticum
Reebnaia	Patris fluvius	Suetinoos	Sancimromon
Wegorscoiflar	Wigatjia	Dolgo ofros	Longa insula
Moetnaia	Oly fluvius	Trocouata	Cabelau fluvius
Isernaia	Roa fluvius	Matsof	Matthia insula
Zolowoi	Viridi insula	Zemostof	Syptem insula
Golzi	Grondolinga	Zelonga	Viridis
Troni Sinus	Cosci	Foles	Ozera Lacus





Wahrhaftige entwerffung
 Des gantzē Streichs, so aus Holland geg
 Mitternacht durchs Nassawische Meer
 zum fluß Obij fuhrt, nach Verzeichnus
 Iohann Hugonis Lintschottarij,
 Vñ Annis 1594 vñ 1595. etc.




Vera delineatio totius tractus ex Hollandia Septentrionem versus per fretum Nassouicum, ad fluvium Obij ducentis, ex Annotatione Iohannis Hugonis Lintschottarij, de Annis 1594 et 1595. etc.

Milliaria Germanica quarum 15 unum gradum constituent


10 20 30 40 50 60

Inv. Gral 2499



TABVLA NAVTICA,
 qua representatur orae maritimae
 meatus, ac freta, noviter a
 Hudsono Anglo ad Castrum
 supra Novam Franciam
 indagata Anno 1612.

Longa nimis longo via dividit aequore Seras,
 Nec patiens tanta est mens generosa more:
 Dixit, et occiduos petit imperterritus Indos
 Hudsonus, ut methodo rem breviora paret.
 Iamq; fretum superare novum, jam cooperat ausi
 Praemia spondere ac parca videre suis.
 Cum remoram tantis injecit nautica rebus
 Turba, nec insonti parcere gnara viro.
 Sed remoram, pergit noster, vel vincere certus.
 Vel (quod o avertant numina sancta) mori
 Audi vota Deus, fastidij hunc adde Britannis
 Servato nuper Principe dare, diem.




Inu. Gral. 2500

111









ARTIS
Navigation
Indice
Pavō 210

